# OVIDE — L'ART D'AIMER (2328 vers)

A_A.1

Siquis in hoc artem populo non novit amandi,
    hoc legat et lecto carmine doctus amet.
Arte citae veloque rates remoque moventur,
    arte leves currus. Arte regendus amor.
Curribus Automedon lentisque erat aptus habenis ;
    Tiphys in Haemonia puppe magister erat ;
me Venus artificem tenero praefecit Amori ;
    Tiphys et Automedon dicar Amoris ego.
Ille quidem ferus est et qui mihi saepe repugnet,
    sed puer est, aetas mollis et apta regi.
Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem
    atque animos placida contudit arte feros ;
qui totiens socios, totiens exterruit hostes,
    creditur annosum pertimuisse senem ;
quas Hector sensurus erat, poscente magistro
    verberibus jussas praebuit ille manus.
Aeacidae Chiron, ego sum praeceptor Amoris ;
    saevus uterque puer, natus uterque dea.
Sed tamen et tauri cervix oneratur aratro,
    frenaque magnanimi dente teruntur equi,
et mihi cedet Amor, quamvis mea vulneret arcu
    pectora jactatas excutiatque faces.
Quo me fixit Amor, quo me violentius ussit,
    Hoc melior facti vulneris ultor ero.
Non ego, Phoebe, datas a te mihi mentiar artes,
    nec nos aeriae voce monemur avis,
nec mihi sunt visae Clio Cliusque sorores
    servanti pecudes vallibus, Ascra, tuis ;
usus opus movet hoc ; vati parete perito.
    Vera canam ; coeptis, mater Amoris, ades !
Este procul, vittae tenues, insigne pudoris,
    quaeque tegis medios, instita longa, pedes.
Nos venerem tutam concessaque furta canemus,
    inque meo nullum carmine crimen erit.
Principio, quod amare velis, reperire labora,
    qui nova nunc primum miles in arma venis.
Proximus huic labor est placitam exorare puellam ;
    tertius, ut longo tempore duret amor.
Hic modus ; haec nostro signabitur area curru ;
    haec erit admissa meta terenda rota.
Dum licet et loris passim potes ire solutis,
    elige cui dicas "Tu mihi sola places".
Haec tibi non tenues veniet delapsa per auras ;
    quaerenda est oculis apta puella tuis.
Scit bene venator cervis ubi retia tendat,
    scit bene qua frendens valle moretur aper ;
aucupibus noti frutices ; qui sustinet hamos
    novit quae multo pisce natentur aquae.
Tu quoque, materiam longo qui quaeris amori,
    ante frequens quo sit disce puella loco.
Non ego quaerentem vento dare vela jubebo,

nec tibi, ut invenias, longa terenda via est.
Andromedan Perseus nigris portarit ab Indis,
raptaque sit Phrygio Graia puella viro,
tot tibi tamque dabit formosas Roma puellas,
"Haec habet" ut dicas "quicquid in orbe fuit".
Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,
aequore quot pisces, fronde teguntur aves,
quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas ;
mater in Aeneae constitit urbe sui.
Seu caperis primis et adhuc crescentibus annis,
ante oculos veniet vera puella tuos ;
sive cupis juvenem, juvenes tibi mille placebunt,
cogeris voti nescius esse tui ;
seu te forte juvat sera et sapientior aetas,
Hoc quoque, crede mihi, plenius agmen erit.
Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra,
cum sol Herculei terga leonis adit,
aut ubi muneribus nati sua munera mater
addidit, externo marmore dives opus ;
nec tibi vitetur quae priscis sparsa tabellis
Porticus auctoris Livia nomen habet,
quaque parare necem miseris patruelibus ausae
Belides et stricto stat ferus ense pater.
Nec te praetereat Veneri ploratus Adonis
cultaque Judaeo septima sacra Syro,
nec fuge linigerae Memphitica templa juvencae ;
multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi.
Et fora conveniunt (quis credere possit ?) Amori,
flammaque in arguto saepe reperta foro.
Subdita qua Veneris facto de marmore templo
Appias expressis aera pulsat aquis,
illo saepe loco capitur consultus Amori,
quique aliis cavit, non cavet ipse sibi ;
illo saepe loco desunt sua verba diserto,
resque novae veniunt, causaque agenda sua est.
Hunc Venus e templis, quae sunt confinia, ridet ;
qui modo patronus, nunc cupit esse cliens.
Sed tu praecipue curvis venare theatris :
haec loca sunt voto fertiliora tuo.
Illic invenies quod ames, quod ludere possis,
quodque semel tangas, quodque tenere velis.
Ut redit itque frequens longum formica per agmen,
granifero solitum cum vehit ore cibum,
aut ut apes saltusque suos et olentia nactae
pascua per flores et thyma summa volant,
sic ruit ad celebres cultissima femina ludos ;
copia judicium saepe morata meum est.
Spectatum veniunt ; veniunt spectentur ut ipsae.
Ille locus casti damna pudoris habet.
Primus sollicitos fecisti, Romule, ludos,
cum juvit viduos rapta Sabina viros.
Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro,
nec fuerant liquido pulpita rubra croco ;
illic, quas tulerant nemorosa Palatia, frondes
simpliciter positae scena sine arte fuit ;
in gradibus sedit populus de caespite factis,
qualibet hirsutas fronde tegente comas.
Respiciunt oculisque notant sibi quisque puellam,

quam velit, et tacito pectore multa movent ;
dumque rudem praebente modum tibicine Tusco
ludius aequatam ter pede pulsat humum,
in medio plausu (plausus tunc arte carebant)
rex populo praedae signa petita dedit.
Protinus exsiliunt, animum clamore fatentes
virginibus cupidas iniciuntque manus.
Ut fugiunt aquilas, timidissima turba, columbae,
ut fugit invisos agna novella lupos,
sic illae timuere viros sine more ruentes ;
constitit in nulla, qui fuit ante, color.
Nam timor unus erat, facies non una timoris.
Pars laniat crines, pars sine mente sedet ;
altera maesta silet, frustra vocat altera matrem ;
haec queritur, stupet haec ; haec manet, illa fugit.
Ducuntur raptae, genialis praeda, puellae,
et potuit multas ipse decere timor.
Siqua repugnarat nimium comitemque negabat,
sublatam cupido vir tulit ipse sinu
atque ita "Quid teneros lacrimis corrumpis ocellos ?
Quod matri pater est, hoc tibi" dixit "ero."
Romule, militibus scisti dare commoda solus ;
haec mihi si dederis commoda, miles ero.
Scilicet, ex illo sollemnia more, theatra
nunc quoque formosis insidiosa manent.
Nec te nobilium fugiat certamen equorum :
multa capax populi commoda circus habet.
Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris,
nec tibi per nutus accipienda nota est ;
proximus a domina, nullo prohibente, sedeto,
junge tuum lateri, qua potes usque, latus.
Et bene, quod cogit, si nolis, linea jungi,
quod tibi tangenda est lege puella loci.
Hic tibi quaeratur socii sermonis origo,
et moveant primos publica verba sonos.
Cujus equi veniant, facito studiose requiras,
nec mora, quisquis erit, cui favet illa, fave.
At cum pompa frequens certantibus ibit ephebis,
tu Veneri dominae plaude favente manu ;
utque fit, in gremium pulvis si forte puellae
deciderit, digitis excutiendus erit,
et si nullus erit pulvis, tamen excute nullum :
quaelibet officio causa sit apta tuo.
Pallia si terra nimium demissa jacebunt,
collige et inmunda sedulus effer humo ;
protinus, officii pretium, patiente puella
contingent oculis crura videnda tuis.
Respice praeterea, post vos quicumque sedebit,
ne premat opposito mollia terga genu.
Parva leves capiunt animos. Fuit utile multis
pulvinum facili composuisse manu ;
profuit et tenui vento movisse tabellam
et cava sub tenerum scamna dedisse pedem.
Hos aditus circusque novo praebebit amori
sparsaque sollicito tristis harena foro.
Illa saepe puer Veneris pugnavit harena,
et, qui spectavit vulnera, vulnus habet :
dum loquitur tangitque manum poscitque libellum

et quaerit, posito pignore, vincat uter,
saucius ingemuit telumque volatile sensit
et pars spectati muneris ipse fuit.
Quid, modo cum belli navalis imagine Caesar
Persidas induxit Cecropiasque rates ?
Nempe ab utroque mari juvenes, ab utroque puellae
venere, atque ingens orbis in Urbe fuit.
Quis non invenit turba, quod amaret, in illa ?
Eheu ! quam multos advena torsit Amor !
Ecce parat Caesar, domito quod defuit orbi,
addere. Nunc, Oriens ultime, noster eris.
Parthe, dabis poenas. Crassi gaudete sepulti,
signaque barbaricas non bene passa manus.
Ultor adest, primisque ducem profitetur in annis,
bellaque non puero tractat agenda puer.
Parcite natales timidi numerare deorum :
Caesaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium caeleste suis velocius annis
surgit et ignavae fert male damna morae.
Parvus erat manibusque duos Tirynthius angues
pressit et in cunis jam Jove dignus erat ;
nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuisti,
cum timuit thyrsos India victa tuos ?
Auspiciis animisque patris, puer, arma movebis,
et vinces animis auspiciisque patris.
Tale rudimentum tanto sub nomine debes,
nunc juvenum princeps, deinde future senum ;
cum tibi sint fratres, fratres ulciscere laesos,
cumque pater tibi sit, jura tuere patris.
Induit arma tibi genitor patriaeque tuusque,
hostis ab invito regna parente rapit.
Tu pia tela feres, sceleratas ille sagittas ;
stabit pro signis jusque piumque tuis.
Vincuntur causa Parthi : vincantur et armis.
Eoas Latio dux meus addat opes.
Marsque pater Caesarque pater, date numen eunti !
nam deus e vobis alter es, alter eris.
Auguror, en, vinces, votivaque carmina reddam,
et magno nobis ore sonandus eris.
Consistes, aciemque meis hortabere verbis ;
o desint animis ne mea verba tuis !
Tergaque Parthorum Romanaque pectora dicam
telaque ab averso quae jacit hostis equo.
Qui fugis ut vincas, quid victo, Parthe, relinquis ?
Parthe, malum jam nunc Mars tuus omen habet.
Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum,
quattuor in niveis aureus ibis equis.
Ibunt ante duces onerati colla catenis,
ne possint tuti, qua prius, esse fuga ;
spectabunt laeti juvenes mixtaeque puellae,
diffundetque animos omnibus ista dies,
atque aliqua ex illis cum regum nomina quaeret,
quae loca, qui montes, quaeve ferantur aquae,
omnia responde, nec tantum siqua rogabit,
et quae nescieris, ut bene nota refer.
Hic est Euphrates, praecinctus harundine frontem ;
cui coma dependet caerula, Tigris erit.
Hos facito Armenios ; haec est Danaeia Persis ;

urbs in Achaemeniis vallibus ista fuit ;
ille vel ille duces ; et erunt quae nomina dicas,
si poteris, vere, si minus, apta tamen.
Dant etiam positis aditum convivia mensis ;
est aliquid praeter vina, quod inde petas.
Saepe illic poti teneris adducta lacertis
purpureus Bacchi cornua pressit Amor,
vinaque cum bibulas sparsere Cupidinis alas,
permanet et capto stat gravis ille loco.
Ille quidem pennas velociter excutit udas,
sed tamen et spargi pectus amore nocet.
Vina parant animos faciuntque caloribus aptos ;
cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tum pauper cornua sumit,
tum dolor et curae rugaque frontis abit ;
tunc aperit mentes aevo rarissima nostro
simplicitas, artes excutiente deo.
Illic saepe animos juvenum rapuere puellae,
et Venus in vinis ignis in igne fuit.
Hic tu fallaci nimium ne crede lucernae ;
judicio formae noxque merumque nocent.
Luce deas caeloque Paris spectavit aperto,
cum dixit Veneri "Vincis utramque, Venus" ;
nocte latent mendae vitioque ignoscitur omni,
horaque formosam quamlibet illa facit.
Consule de gemmis, de tincta murice lana,
consule de facie corporibusque diem.
Quid tibi femineos coetus venatibus aptos
enumerem ? numero cedet harena meo.
Quid referam Baias, praetextaque litora Bais
et, quae de calido sulpure fumat, aquam ?
Hinc aliquis vulnus referens in pectore dixit
"Non haec, ut fama est, unda salubris erat."
Ecce suburbanae templum nemorale Dianae
partaque per gladios regna nocente manu.
Illa, quod est virgo, quod tela Cupidinis odit,
multa dedit populo vulnera, multa dabit.
Hactenus, unde legas quod ames, ubi retia ponas,
praecipit imparibus vecta Thalea rotis.
Nunc tibi, quae placuit, quas sit capienda per artes,
dicere praecipuae molior artis opus.
Quisquis ubique, viri, dociles advertite mentes,
pollicitisque favens, vulgus, adeste meis.
Prima tuae menti veniat fiducia, cunctas
posse capi ; capies, tu modo tende plagas.
Vere prius volucres taceant, aestate cicadae,
Maenalius lepori det sua terga canis,
femina quam juveni blande temptata repugnet.
Haec quoque, quam poteris credere nolle, volet.
Utque viro furtiva venus, sic grata puellae ;
vir male dissimulat, tectius illa cupit.
Conveniat maribus nequam nos ante rogemus,
femina jam partes victa rogantis agat.
Mollibus in pratis admugit femina tauro,
femina cornipedi semper adhinnit equo.
Parcior in nobis nec tam furiosa libido ;
legitimum finem flamma virilis habet.
Byblida quid referam, vetito quae fratris amore

arsit et est laqueo fortiter ulta nefas ?
Myrrha patrem, sed non qua filia debet, amavit,
et nunc obducto cortice pressa latet ;
illius lacrimis, quas arbore fundit odora,
unguimur, et dominae nomina gutta tenet.
Forte sub umbrosis nemorosae vallibus Idae
candidus, armenti gloria, taurus erat,
signatus tenui media inter cornua nigro ;
una fuit labes, cetera lactis erant.
Illum Gnossiadesque Cydoneaeque juvencae
optarunt tergo sustinuisse suo ;
Pasiphae fieri gaudebat adultera tauri ;
invida formosas oderat illa boves.
Nota cano ; non hoc, centum quae sustinet urbes,
quamvis sit mendax, Creta negare potest.
Ipsa novas frondes et prata tenerrima tauro
fertur inadsueta subsecuisse manu ;
it comes armentis ; nec ituram cura moratur
conjugis, et Minos a bove victus erat.
Quo tibi, Pasiphae, pretiosas sumere vestes ?
Ille tuus nullas sentit adulter opes.
Quid tibi cum speculo, montana armenta petenti ?
Quid totiens positas fingis, inepta, comas ?
Crede tamen speculo, quod te negat esse juvencam.
Quam cuperes fronti cornua nata tuae !
Sive placet Minos, nullus quaeratur adulter ;
sive virum mavis fallere, falle viro.
In nemus et saltus thalamo regina relicto
fertur, ut Aonio concita Baccha deo.
A ! quotiens vaccam vultu spectavit iniquo
et dixit "Domino cur placet ista meo ?
Aspice ut ante ipsum teneris exultet in herbis.
Nec dubito quin se stulta decere putet."
Dixit, et ingenti jamdudum de grege duci
jussit et inmeritam sub juga curva trahi,
aut cadere ante aras commentaque sacra coegit
et tenuit laeta paelicis exta manu.
Paelicibus quotiens placavit numina caesis
atque ait, exta tenens "Ite, placete meo ! "
Et modo se Europen fieri, modo postulat Io,
altera quod bos est, altera vecta bove.
Hanc tamen implevit, vacca deceptus acerna,
dux gregis, et partu proditus auctor erat.
Cressa Thyesteo si se abstinuisset amore
(et quantum est uno posse carere viro !)
non medium rupisset iter curruque retorto
Auroram versis Phoebus adisset equis.
Filia purpureos Niso furata capillos
pube premit rabidos inguinibusque canes.
Qui Martem terra, Neptunum effugit in undis,
conjugis Atrides victima dira fuit.
Cui non defleta est Ephyraeae flamma Creusae
et nece natorum sanguinolenta parens ?
Flevit Amyntorides per inania lumina Phoenix ;
Hippolytum pavidi diripuistis equi.
Quid fodis inmeritis, Phineu, sua lumina natis ?
Poena reversura est in caput ista tuum.
Omnia feminea sunt ista libidine mota ;

acrior est nostra, plusque furoris habet.
Ergo age, ne dubita cunctas sperare puellas.
Vix erit e multis, quae neget, una tibi.
Quae dant quaeque negant, gaudent tamen esse rogatae ;
ut jam fallaris, tuta repulsa tua est.
Sed cur fallaris, cum sit nova grata voluptas,
et capiant animos plus aliena suis ?
Fertilior seges est alienis semper in agris,
vicinumque pecus grandius uber habet.
Sed prius ancillam captandae nosse puellae
cura sit ; accessus molliet illa tuos ;
proxima consiliis dominae sit ut illa, videto,
neve parum tacitis conscia fida jocis.
Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando :
quod petis, ex facili, si volet illa, feres.
Illa leget tempus (medici quoque tempora servant),
quo facilis dominae mens sit et apta capi.
Mens erit apta capi tum, cum laetissima rerum
ut seges in pingui luxuriabit humo ;
pectora dum gaudent nec sunt adstricta dolore,
ipsa patent ; blanda tum subit arte Venus.
Tum, cum tristis erat, defensa est Ilios armis ;
militibus gravidum laeta recepit equum.
Tum quoque temptanda est, cum paelice laesa dolebit ;
tum facies opera, ne sit inulta, tua.
Hanc matutinos pectens ancilla capillos
incitet et velo remigis addat opem
et secum tenui suspirans murmure dicat
"Ut, puto, non poteras ipsa referre vicem."
Tum de te narret, tum persuadentia verba
addat et insano juret amore mori.
Sed propera, ne vela cadant auraeque residant ;
ut fragilis glacies, interit ira mora.
Quaeris an hanc ipsam prosit violare ministram ?
Talibus admissis alea grandis inest.
Haec a concubitu fit sedula, tardior illa ;
haec dominae munus te parat, illa sibi.
Casus in eventu est ; licet hic indulgeat ausis,
consilium tamen est abstinuisse meum.
Non ego per praeceps et acuta cacumina vadam,
nec juvenum quisquam me duce captus erit.
Si tamen illa tibi, dum dat recipitque tabellas,
corpore, non tantum sedulitate placet,
fac domina potiare prius, comes illa sequatur.
Non tibi ab ancilla est incipienda Venus.
Hoc unum moneo, siquid modo creditur arti,
nec mea dicta rapax per mare ventus agit ;
aut non rem temptes aut perfice ; tollitur index,
cum semel in partem criminis ipsa venit ;
non avis utiliter viscatis effugit alis,
non bene de laxis cassibus exit aper.
Saucius arrepto piscis teneatur ab hamo ;
perprime temptatam nec nisi victor abi.
Sed bene celetur. Bene si celabitur index,
notitiae suberit semper amica tuae.
Tempora qui solis operosa colentibus arva,
fallitur, et nautis aspicienda putat ;
nec semper credenda ceres fallacibus arvis,

nec semper viridi concava puppis aquae,
nec teneras semper tutum captare puellas ;
saepe dato melius tempore fiet idem.
Sive dies suberit natalis, sive Kalendae,
quas Venerem Marti continuasse juvat,
sive erit ornatus, non, ut fuit ante, sigillis,
sed regum positas circus habebit opes,
differ opus ; tunc tristis hiems, tunc Pliades instant,
tunc tener aequorea mergitur haedus aqua.
Tunc bene desinitur ; tunc, siquis creditur alto,
vix tenuit lacerae naufraga membra ratis.
Tu licet incipias, qua flebilis Allia luce
vulneribus Latiis sanguinolenta fuit,
quaque die redeunt rebus minus apta gerendis
culta Palaestino septima festa Syro.
Magna superstitio tibi sit natalis amicae,
quaque aliquid dandum est, illa sit atra dies.
Cum bene vitaris, tamen auferet ; invenit artem
femina, qua cupidi carpat amantis opes.
Institor ad dominam veniet discinctus emacem
expediet merces teque sedente suas,
quas illa inspicias, sapere ut videare, rogabit,
oscula deinde dabit ; deinde rogabit, emas.
Hoc fore contentam multos jurabit in annos,
nunc opus esse sibi, nunc bene dicet emi ;
si non esse domi, quos des, causabere nummos,
littera poscetur, ne didicisse juvet.
Quid, quasi natali cum poscit munera libo,
et, quotiens opus est, nascitur illa sibi ?
Quid, cum mendaci dampno maestissima plorat,
elapsusque cava fingitur aure lapis ?
Multa rogant utenda dari, data reddere nolunt ;
perdis, et in damno gratia nulla tuo.
Non mihi, sacrilegas meretricum ut persequar artes,
cum totidem linguis sint satis ora decem.
Cera vadum temptet, rasis infusa tabellis,
cera tuae primum conscia mentis eat ;
blanditias ferat illa tuas imitataque amantum
verba, nec exiguas, quisquis es, adde preces.
Hectora donavit Priamo prece motus Achilles ;
flectitur iratus voce rogante deus.
Promittas facito ; quid enim promittere laedit ?
Pollicitis dives quilibet esse potest.
Spes tenet in tempus, semel est si credita, longum ;
illa quidem fallax, sed tamen apta dea est.
Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui ;
praeteritum tulerit perdideritque nihil ;
at quod non dederis, semper videare daturus.
Sic dominum sterilis saepe fefellit ager ;
sic, ne perdiderit, non cessat perdere lusor,
et revocat cupidas alea saepe manus.
Hoc opus, hic labor est, primo sine munere jungi ;
ne dederit gratis quae dedit, usque dabit.
Ergo eat et blandis peraretur littera verbis
exploretque animos primaque temptet iter ;
littera Cydippen pomo perlata fefellit,
insciaque est verbis capta puella suis.
Disce bonas artes, moneo, Romana juventus,

non tantum trepidos ut tueare reos ;
quam populus judexque gravis lectusque senatus,
tam dabit eloquio victa puella manus.
Sed lateant vires nec sis in fronte disertus ;
effugiant voces verba molesta tuae.
Quis, nisi mentis inops, tenerae declamat amicae ?
Saepe valens odii littera causa fuit.
Sit tibi credibilis sermo consuetaque verba,
blanda tamen, praesens ut videare loqui.
Si non accipiet scriptum, inlectumque remittet,
lecturam spera propositumque tene.
Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci,
tempore lenta pati frena docentur equi ;
ferreus adsiduo consumitur anulus usu ;
interit adsidua vomer aduncus humo.
Quid magis est saxo durum, quid mollius unda ?
dura tamen molli saxa cavantur aqua.
Penelopen ipsam, persta modo, tempore vinces ;
capta vides sero Pergama, capta tamen.
Legerit et nolit rescribere, cogere noli.
Tu modo blanditias fac legat usque tuas.
Quae voluit legisse, volet rescribere lectis ;
per numeros venient ista gradusque suos.
Forsitan et primo veniet tibi littera tristis,
quaeque roget ne se sollicitare velis.
Quod rogat illa, timet ; quod non rogat, optat, ut instes ;
insequere, et voti postmodo compos eris.
Interea, sive illa toro resupina feretur,
lecticam dominae dissimulanter adi,
neve aliquis verbis odiosas offerat auris,
quam potes, ambiguis callidus abde notis ;
seu pedibus vacuis illi spatiosa teretur
porticus, hic socias tu quoque junge moras,
et modo praecedas facito, modo terga sequaris,
et modo festines et modo lentus eas.
Nec tibi de mediis aliquot transire columnas
sit pudor aut lateri continuasse latus,
nec sine te curvo sedeat speciosa theatro ;
quod spectes, umeris adferet illa suis.
Illam respicias, illam mirere licebit,
multa supercilio, multa loquare notis ;
et plaudas, aliquam mimo saltante puellam,
et faveas illi, quisquis agatur amans.
Cum surgit, surges ; donec sedet illa, sedeto ;
arbitrio dominae tempora perde tuae.
Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos,
nec tua mordaci pumice crura teras.
Ista jube faciant, quorum Cybeleia mater
concinitur Phrygiis exululata modis.
Forma viros neglecta decet. Minoida Theseus
abstulit a nulla tempora comptus acu ;
Hippolytum Phaedra, nec erat bene cultus, amavit ;
cura deae silvis aptus Adonis erat.
Munditie placeant ; fuscentur corpora Campo,
sit bene conveniens et sine labe toga.
Lingula ne rigeat ; careant rubigine dentes ;
nec vagus in laxa pes tibi pelle natet,
nec male deformet rigidos tonsura capillos ;

sit coma, sit trita barba resecta manu ;
et nihil emineant et sint sine sordibus ungues,
inque cava nullus stet tibi nare pilus ;
nec male odorati sit tristis anhelitus oris,
nec laedat naris virque paterque gregis.
Cetera lascivae faciant, concede, puellae,
et siquis male vir quaerit habere virum.
Ecce suum vatem Liber vocat ; hic quoque amantes
adjuvat et flammae, qua calet ipse, favet.
Gnosis in ignotis amens errabat harenis,
qua brevis aequoreis Dia feritur aquis,
utque erat e somno tunica velata recincta,
nuda pedem, croceas inreligata comas,
Thesea crudelem surdas clamabat ad undas
indigno teneras imbre rigante genas.
Clamabat flebatque simul ; sed utrumque decebat ;
non facta est lacrimis turpior illa suis.
Jamque iterum tundens mollissima pectora palmis
"Perfidus ille abiit ! quid mihi fiet ? " ait.
"Quid mihi fiet ? " ait. Sonuerunt cymbala toto
litore et adtonita tympana pulsa manu.
Excidit illa metu rupitque novissima verba ;
nullus in exanimi corpore sanguis erat.
Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis,
ecce leves Satyri, praevia turba dei,
ebrius ecce senex. Pando Silenus asello
vix sedet et pressas continet arte jubas ;
dum sequitur Bacchas, Bacchae fugiuntque petuntque,
quadrupedem ferula dum malus urget eques,
in caput aurito cecidit delapsus asello.
Clamarunt satyri "Surge age, surge, pater !"
Jam deus in curru, quem summum texerat uvis,
tigribus adjunctis aurea lora dabat.
Et color et Theseus et vox abiere puellae
terque fugam petiit, terque retenta metu est ;
horruit, ut sterilis agitat quas ventus aristas,
ut levis in madida canna palude tremit.
Cui deus "En, adsum tibi cura fidelior, inquit ;
"pone metum. Bacchi, Gnosias, uxor eris.
Munus habe caelum ; caelo spectabere sidus ;
saepe reget dubiam Cressa Corona ratem."
Dixit, et e curru, ne tigres illa timeret,
desilit (imposito cessit harena pede)
implicitamque sinu (neque enim pugnare valebat)
abstulit ; in facili est omnia posse deo.
Pars "Hymenaee" canunt, pars clamant "Euhion, euhoe ! "
Sic coeunt sacro nupta deusque toro.
Ergo ubi contigerint positi tibi munera Bacchi
atque erit in socii femina parte tori,
Nycteliumque patrem nocturnaque sacra precare,
ne jubeant capiti vina nocere tuo.
Hic tibi multa licet sermone latentia tecto
dicere, quae dici sentiat illa sibi,
blanditiasque leves tenui perscribere vino,
ut dominam in mensa se legat illa tuam,
atque oculos oculis spectare fatentibus ignem.
Saepe tacens vocem verbaque vultus habet.
Fac primus rapias illius tacta labellis

pocula, quaque bibit parte puella, bibas,
et quemcumque cibum digitis libaverit illa,
tu pete, dumque petes, sit tibi tacta manus.
Sint etiam tua vota, viro placuisse puellae ;
utilior vobis factus amicus erit.
Huic, si sorte bibes, sortem concede priorem ;
huic detur capiti missa corona tuo ;
sive erit inferior seu par, prior omnia sumat ;
nec dubites illi verba secunda loqui.
Tuta frequensque via est, per amici fallere nomen ;
tuta frequensque licet sit via, crimen habet.
Inde procurator nimium quoque multa procurat
et sibi mandatis plura videnda putat.
Certa tibi a nobis dabitur mensura bibendi :
officium praestent mensque pedesque suum.
Jurgia praecipue vino stimulata caveto
et nimium faciles ad fera bella manus.
Occidit Eurytion stulte data vina bibendo ;
aptior est dulci mensa merumque joco.
Si vox est, canta ; si mollia brachia, salta,
et quacumque potes dote placere, place.
Ebrietas, ut vera nocet, sic ficta juvabit.
Fac titubet blaeso subdola lingua sono,
ut, quicquid facias dicasve protervius aequo,
credatur nimium causa fuisse merum.
Et "bene dic dominae ; bene, cum quo dormiat illa" ;
sed, male sit, tacita mente precare, viro.
At cum discedet mensa conviva remota,
ipsa tibi accessus turba locumque dabit.
Insere te turbae, leviterque admotus eunti
velle latus digitis et pede tange pedem.
Conloquii jam tempus adest. Fuge, rustice, longe
hinc, Pudor ; audentem Forsque Venusque juvat.
Non tua sub nostras veniat facundia leges ;
fac tantum cupias ; sponte disertus eris.
Est tibi agendus amans imitandaque vulnera verbis ;
haec tibi quaeratur qualibet arte fides.
Nec credi labor est ; sibi quaeque videtur amanda ;
pessima sit, nulli non sua forma placet.
Saepe tamen vere coepit simulator amare ;
saepe, quod incipiens finxerat esse, fuit.
Quo magis, o ! faciles imitantibus este, puellae ;
fiet amor verus, qui modo falsus erat.
Blanditiis animum furtim deprendere nunc sit,
ut pendens liquida ripa subitur aqua.
Nec faciem nec te pigeat laudare capillos
et teretes digitos exiguumque pedem.
Delectant etiam castas praeconia formae ;
virginibus curae grataque forma sua est.
Nam cur in Phrygiis Junonem et Pallada silvis
nunc quoque judicium non tenuisse pudet ?
Laudatas ostendit avis Junonia pinnas ;
si tacitus spectes, illa recondit opes ;
quadrupedes inter rapidi certamina cursus
depexaeque jubae plausaque colla juvant.
Nec timide promitte ; trahunt promissa puellas ;
pollicito testes quoslibet adde deos.
Juppiter ex alto perjuria ridet amantum

et jubet Aeolios inrita ferre Notos.
Per Styga Junoni falsum jurare solebat
Juppiter ; exemplo nunc favet ipse suo.
Expedit esse deos, et, ut expedit, esse putemus ;
dentur in antiquos tura merumque focos.
Nec secura quies illos similisque sopori
detinet ; innocue vivite, numen adest.
Reddite depositum, pietas sua foedera servet ;
fraus absit, vacuas caedis habete manus.
Ludite, si sapitis, solas inpune puellas ;
hac minus est una fraude tuenda fides.
Fallite fallentes ; ex magna parte profanum
sunt genus ; in laqueos quos posuere cadant.
Dicitur Aegyptos caruisse juvantibus arva
imbribus atque annos sicca fuisse novem,
cum Thrasius Busirin adit monstratque piari
hospitis adfuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris "Fies Jovis hostia primus,
inquit, et Aegypto tu dabis hospes aquam."
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
torruit ; infelix inbuit auctor opus.
Justus uterque fuit ; neque enim lex aequior ulla est
quam necis artifices arte perire sua.
Ergo ut perjuras merito perjuria fallant,
exemplo doleat femina laesa suo !
Et lacrimae prosunt ; lacrimis adamanta movebis.
Fac madidas videat, si potes, illa genas ;
si lacrimae (neque enim veniunt in tempore semper)
deficient, uda lumina tange manu.
Quis sapiens blandis non misceat oscula verbis ?
Illa licet non det, non data sume tamen.
Pugnabit primo fortassis et "inprobe" dicet ;
pugnando vinci se tamen illa volet ;
tantum ne noceant teneris male rapta labellis,
neve queri possit dura fuisse cave.
Oscula qui sumpsit, si non et cetera sumpsit,
haec quoque, quae data sunt, perdere dignus erit.
Quantum defuerat pleno post oscula voto ?
Ei mihi ! rusticitas, non pudor ille fuit.
Vim licet appelles, grata est vis ista puellis ;
quod juvat, invitae saepe dedisse volunt.
Quaecumque est Veneris subita violata rapina,
gaudet et inprobitas muneris instar habet ;
at quae cum posset cogi, non tacta recessit,
ut simulet vultu gaudia, tristis erit.
Vim passa est Phoebe, vis est allata sorori ;
et gratus raptae raptor uterque fuit.
Fabula nota quidem, sed non indigna referri
Scyrias Haemonio juncta puella viro.
Jam dea laudatae dederat mala praemia formae
colle sub Idaeo vincere digna duas ;
jam nurus ad Priamum diverso venerat orbe,
Graiaque in Iliacis moenibus uxor erat ;
jurabant omnes in laesi verba mariti ;
nam dolor unius publica causa fuit.
(Turpe ! nisi hoc matris precibus tribuisset) Achilles
veste virum longa dissimulatus erat.
Quid facis, Aeacide ? non sunt tua munera lanae ;

tu titulos alia Palladis arte petas.
Quid tibi cum calathis ? clipeo manus apta ferendo est.
Pensa quid in dextra, qua cadet Hector, habes ?
Reice succinctos operoso stamine fusos !
quassanda est ista Pelias hasta manu.
Forte erat in thalamo virgo regalis eodem ;
haec illum stupro conperit esse virum.
Viribus illa quidem victa est (ita credere oportet),
sed voluit vinci viribus illa tamen.
Saepe "Mane" dixit, cum jam properaret Achilles ;
fortia nam posita sumpserat arma colo.
Vis ubi nunc illa est ? quid blanda voce moraris
auctorem stupri, Deidamia, tui ?
Scilicet ut pudor est quaedam coepisse priorem,
sic alio gratum est incipiente pati.
A ! nimia est juveni propriae fiducia formae,
expectat siquis dum prior illa roget.
Vir prior accedat, vir verba precantia dicat ;
excipiat blandas comiter illa preces.
Ut potiare, roga ; tantum cupit illa rogari ;
da causam voti principiumque tui.
Juppiter ad veteres supplex heroidas ibat ;
corrupit magnum nulla puella Jovem.
Si tamen a precibus tumidos accedere fastus
senseris, incepto parce referque pedem.
Quod refugit, multae cupiunt, odere quod instat ;
lenius instando taedia tolle tui.
Nec semper Veneris spes est profitenda roganti :
intret amicitiae nomine tectus amor.
Hoc aditu vidi tetricae data verba puellae ;
qui fuerat cultor, factus amator erat.
Candidus in nauta turpis color ; aequoris unda
debet et a radiis sideris esse niger ;
turpis et agricolae, qui vomere semper adunco
et gravibus rastris sub Jove versat humum.
Et tibi, Palladiae petitur cui fama coronae,
candida si fuerint corpora, turpis eris.
Palleat omnis amans ! hic est color aptus amanti ;
hoc decet ; hoc multi non valuisse putent.
Pallidus in Side silvis errabat Orion,
pallidus in lenta Naide Daphnis erat.
Arguat et macies animum, nec turpe putaris
palliolum nitidis inposuisse comis.
Attenuant juvenum vigilatae corpora noctes
curaque et, in magno qui fit amore, dolor.
Ut voto potiare tuo, miserabilis esto,
ut qui te videat, dicere possit "amas".
Conquerar an moneam mixtum fas omne nefasque ?
Nomen amicitia est, nomen inane fides.
Ei mihi ! non tutum est, quod ames, laudare sodali.
Cum tibi laudanti credidit, ipse subit.
"At non Actorides lectum temeravit Achillis ;
quantum ad Pirithoum, Phaedra pudica fuit ;
Hermionam Pylades quo Pallada Phoebus, amabat,
quodque tibi geminus, Tyndari, Castor, erat."
Siquis idem sperat, laturas poma myricas
speret et e medio flumine mella petat !
Nil nisi turpe juvat : curae sua cuique voluptas ;

haec quoque ab alterius grata dolore venit.
Heu facinus ! non est hostis metuendus amanti ;
quos credis fidos, effuge ; tutus eris.
Cognatum fratremque cave carumque sodalem :
praebebit veros haec tibi turba metus.
Finiturus eram ; sed sunt diversa puellis
pectora : mille animos excipe mille modis.
Nec tellus eadem parit omnia : vitibus illa
convenit, haec oleis ; hac bene farra virent.
Pectoribus mores tot sunt, quot in ore figurae ;
qui sapit, innumeris moribus aptus erit,
utque leves Proteus modo se tenuabit in undas,
nunc leo, nunc arbor, nunc erit hirtus aper.
Hic jaculo pisces, illic capiuntur ab hamis,
hic cava contento retia fune trahunt.
Nec tibi conveniet cunctos modus unus ad annos ;
longius insidias cerva videbit anus ;
si doctus videare rudi petulansve pudenti,
diffidet miserae protinus illa sibi.
Inde fit, ut quae se timuit committere honesto,
vilis ad amplexus inferioris eat.
Pars superat coepti, pars est exhausta laboris ;
hic teneat nostras ancora jacta rates.

A_A.2

Dicite "io Paean ! " et "io" bis dicite "Paean ! " :
Decidit in casses praeda petita meos ;
laetus amans donat viridi mea carmina palma
praelata Ascraeo Maeonioque seni.
Talis ab armiferis Priameius hospes Amyclis
candida cum rapta conjuge vela dedit ;
talis erat, qui te curru victore ferebat,
vecta peregrinis Hippodamia rotis.
Quid properas, juvenis ? mediis tua pinus in undis
navigat, et longe, quem peto, portus abest.
Non satis est venisse tibi me vate puellam ;
arte mea capta est, arte tenenda mea est.
Nec minor est virtus, quam quaerere, parta tueri ;
casus inest illic , hoc erit artis opus.
Nunc mihi, siquando, puer et Cytherea, favete,
nunc Erato ; nam tu nomen amoris habes.
Magna paro, quas possit Amor remanere per artes,
dicere tam vasto pervagus orbe puer.
Et levis est et habet geminas, quibus avolet, alas ;
difficile est illis inposuisse modum.
Hospitis effugio praestruxerat omnia Minos ;
audacem pinnis repperit ille viam.
Daedalus ut clausit conceptum crimine matris
semibovemque virum semivirumque bovem,
"Sit modus exilio, dixit, justissime Minos ;
accipiat cineres terra paterna meos.
Et quoniam in patria fatis agitatus iniquis
vivere non potui, da mihi posse mori.
Da reditum puero, senis est si gratia vilis ;
si non vis puero parcere, parce seni."
Dixerat haec, sed et haec et multo plura licebat
dicere ; regressus non dabat ille viro.

Quod simul ut sensit : "Nunc, nunc, o Daedale, dixit,
materiam, qua sis ingeniosus, habes.
Possidet et terras et possidet aequora Minos ;
nec tellus nostrae nec patet unda fugae.
Restat iter caeli ; caelo temptabimus ire.
Da veniam coepto, Jupiter alte, meo.
Non ego sidereas adfecto tangere sedes ;
qua fugiam dominum, nulla nisi ista via est.
Per Styga detur iter, Stygias transnabimus undas.
Sunt mihi naturae jura novanda meae."
Ingenium mala saepe movent ; quis crederet umquam
aerias hominem carpere posse vias ?
Remigium volucrum disponit in ordine pinnas
et leve per lini vincula nectit opus,
imaque pars ceris adstringitur igne solutis,
finitusque novae jam labor artis erat.
Tractabat ceramque puer pinnasque renidens,
nescius haec umeris arma parata suis.
Cui pater : "His, inquit, patria est adeunda carinis,
hac nobis Minos effugiendus ope.
Aera non potuit Minos, alia omnia clausit ;
quem licet, inventis aera rumpe meis.
Sed tibi non virgo Tegeaea comesque Bootae,
ensiger Orion, aspiciendus erit ;
me pinnis sectare datis ; ego praevius ibo ;
sit tua cura sequi ; me duce tutus eris.
Nam sive aetherias vicino sole per auras
ibimus, inpatiens cera caloris erit ;
sive humiles propiore freto jactabimus alas,
mobilis aequoreis pinna madescet aquis ;
inter utrumque vola ; ventos quoque, nate, timeto,
quaque ferent aurae vela secunda dato."
Dum monet, aptat opus puero monstratque moveri,
erudit infirmas ut sua mater aves.
Inde sibi factas umeris accommodat alas
perque novum timide corpora librat iter.
Jamque volaturus parvo dedit oscula nato,
nec patriae lacrimas continuere genae.
Monte minor collis, campis erat altior aequis ;
hinc data sunt miserae corpora bina fugae.
Et movet ipse suas et nati respicit alas
Daedalus, et cursus sustinet usque suos.
Jamque novum delectat iter, positoque timore
Icarus audaci fortius arte volat.
Hos aliquis, tremula dum captat arundine pisces,
vidit, et inceptum dextra reliquit opus.
Jam Samos a laeva (fuerant Naxosque relictae
et Paros et Clario Delos amata deo)
dextra Lebynthos erat silvisque umbrosa Calymne
cinctaque piscosis Astypalaea vadis,
cum puer, incautis nimium temerarius annis,
altius egit iter deseruitque patrem.
Vincla labant et cera deo propiore liquescit
nec tenues ventos brachia mota tenent.
Territus a summo despexit in aequora caelo ;
nox oculis pavido venit oborta metu.
Tabuerant cerae ; nudos quatit ille lacertos
et trepidat nec quo sustineatur habet.

Decidit, atque cadens "Pater, o pater, auferor !" inquit ;
clauserunt virides ora loquentis aquae.
At pater infelix nec jam pater "Icare , clamat,
Icare, clamat, ubi es, quoque sub axe volas ? "
"Icare !" clamabat ; pinnas aspexit in undis.
Ossa tegit tellus ; aequora nomen habent.
Non potuit Minos hominis conpescere pinnas ;
ipse deum volucrem detinuisse paro.
Fallitur, Haemonias siquis decurrit ad artes
datque quod a teneri fronte revellit equi.
Non facient, ut vivat amor, Medeides herbae
mixtaque cum magicis nenia Marsa sonis.
Phasias Aesoniden, Circe tenuisset Ulixem,
si modo servari carmine posset amor.
Nec data profuerint pallentia philtra puellis ;
philtra nocent animis vimque furoris habent.
Sit procul omne nefas ! ut ameris, amabilis esto,
quod tibi non facies solave forma dabit.
Sis licet antiquo Nireus adamatus Homero,
Naiadumque tener crimine raptus Hylas,
ut dominam teneas nec te mirere relictum,
ingenii dotes corporis adde bonis.
Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
fit minor, et spatio carpitur ipsa suo.
Nec violae semper nec hiantia lilia florent,
et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi jam venient cani, formose, capilli,
jam venient rugae, quae tibi corpus arent.
Jam molire animum qui duret et adstrue formae ;
solus ad extremos permanet ille rogos.
Nec levis ingenuas pectus coluisse per artes
cura sit et linguas edidicisse duas.
Non formosus erat, sed erat facundus, Ulixes,
et tamen aequoreas torsit amore deas.
O ! quotiens illum doluit properare Calypso
remigioque aptas esse negavit aquas !
Haec Trojae casus iterumque iterumque rogabat,
ille referre aliter saepe solebat idem.
Litore constiterant ; illic quoque pulchra Calypso
exigit Odrysii fata cruenta ducis.
Ille levi virga (virgam nam forte tenebat)
quod rogat, in spisso litore pingit opus.
"Haec, inquit, Troja est (muros in litore fecit),
hic tibi sit Simois ; haec mea castra puta.
Campus erat (campumque facit), quem caede Dolonis
sparsimus, Haemonios dum vigil optat equos.
Illic Sithonii fuerant tentoria Rhesi ;
hac ego sum captis nocte revectus equis."
Pluraque pingebat, subitus cum Pergama fluctus
abstulit et Rhesi cum duce castra suo.
Tum dea : "Quas, inquit, fidas tibi credis ituro,
perdiderint undae nomina quanta, vides ? "
Ergo age, fallaci timide confide figurae,
quisquis es, atque aliquid corpore pluris habe.
Dextera praecipue capit indulgentia mentes ;
asperitas odium saevaque bella movet.
Odimus accipitrem, quia vivit semper in armis,
et pavidum solitos in pecus ire lupos.

At caret insidiis hominum, quia mitis, hirundo,
quasque colat turres, Chaonis ales habet.
Este procul, lites et amarae proelia linguae !
dulcibus est verbis mollis alendus amor.
Lite fugent nuptaeque viros nuptasque mariti
inque vicem credant res sibi semper agi ;
Hoc decet uxores ; dos est uxoria lites.
Audiat optatos semper amica sonos.
Non legis jussu lectum venistis in unum ;
fungitur in vobis munere legis Amor.
Blanditias molles auremque juvantia verba
adfer, ut adventu laeta sit illa tuo.
Non ego divitibus venio praeceptor amandi ;
nil opus est illi, qui dabit, arte mea ;
secum habet ingenium, qui, cum libet, "accipe" dicit.
Cedimus ; inventis plus placet ille meis.
Pauperibus vates ego sum, quia pauper amavi ;
cum dare non possem munera, verba dabam.
Pauper amet caute, timeat maledicere pauper
multaque divitibus non patienda ferat.
Me memini iratum dominae turbasse capillos :
haec mihi quam multos abstulit ira dies !
Nec puto nec sensi tunicam laniasse, sed ipsa
dixerat et pretio est illa redempta meo.
At vos, si sapitis, vestri peccata magistri
effugite et culpae damna timete meae.
Proelia cum Parthis, cum culta pax sit amica
et jocus et causas quicquid amoris habet.
Si nec blanda satis nec erit tibi comis amanti,
perfer et obdura. Postmodo mitis erit.
Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus ;
frangis, si vires experiere tuas.
Obsequio tranantur aquae, nec vincere possis
flumina, si contra quam rapit unda nates.
Obsequium tigresque domat Numidasque leones ;
rustica paulatim taurus aratra subit.
Quid fuit asperius Nonacrina Atalanta ?
Succubuit meritis trux tamen illa viri.
Saepe suos casus nec mitia facta puellae
flesse sub arboribus Milaniona ferunt ;
saepe tulit jusso fallacia retia collo,
saepe fera torvos cuspide fixit apros ;
sensit et Hylaei contentum saucius arcum ;
sed tamen hoc arcu notior alter erat.
Non te Maenalias armatum scandere silvas
nec jubeo collo retia ferre tuo ;
pectora nec missis jubeo praebere sagittis ;
artis erunt cauto mollia jussa meae.
Cede repugnanti ; cedendo victor abibis ;
fac modo, quas partes illa jubebit agas.
Arguet, arguito ; quicquid probat illa, probato ;
quod dicet, dicas ; quod negat illa, neges.
Riserit, adride ; si flebit, flere memento.
Inponat leges vultibus illa tuis.
Seu ludet numerosque manu jactabit eburnos,
Tu male jactato, tu male jacta dato ;
seu jacies talos, victam ne poena sequatur,
damnosi facito stent tibi saepe canes ;

sive latrocinii sub imagine calculus ibit,
fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.
Ipse tene distenta suis umbracula virgis,
ipse fac in turba, qua venit illa, locum.
Nec dubita tereti scamnum producere lecto
et tenero soleam deme vel adde pedi.
Saepe etiam dominae, quamvis horrebis et ipse,
algenti manus est calfacienda sinu.
Nec tibi turpe puta (quamvis sit turpe, placebit)
ingenua speculum sustinuisse manu.
Ille, fatigata praebendo monstra noverca,
qui meruit caelum, quod prior ipse tulit,
Ionias inter calathum tenuisse puellas
creditur et lanas excoluisse rudes.
Paruit imperio dominae Tirynthius heros ;
i nunc et dubita ferre, quod ille tulit.
Jussus adesse foro jussa maturius hora
fac semper venias nec nisi serus abi.
Occurras aliquo, tibi dixerit ; omnia differ,
curre, nec inceptum turba moretur iter.
Nocte domum repetens epulis perfuncta redibit,
tunc quoque pro servo, si vocat illa, veni.
Rure erit et dicet "Venias" ; Amor odit inertes ;
si rota defuerit, tu pede carpe viam.
Nec grave te tempus sitiensque Canicula tardet
nec via per jactas candida facta nives.
Militiae species amor est. Discedite, segnes :
non sunt haec timidis signa tuenda viris.
Nox et hiems longaeque viae saevique dolores
mollibus his castris et labor omnis inest.
Saepe feres imbrem caelesti nube solutum
frigidus et nuda saepe jacebis humo.
Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheraei
fertur et in parva delituisse casa.
Quod Phoebum decuit, quem non decet ? Exue fastus,
curam mansuri quisquis amoris habes.
Si tibi per tutum planumque negabitur ire,
atque erit opposita janua fulta sera,
at tu per praeceps tecto delabere aperto ;
det quoque furtivas alta fenestra vias.
Laeta erit et causam tibi se sciet esse pericli ;
hoc dominae certi pignus amoris erit.
Saepe tua poteras, Leandre, carere puella ;
transnabas, animum nosset ut illa tuum.
Nec pudor ancillas, ut quaeque erit ordine prima,
nec tibi sit servos demeruisse pudor.
Nomine quemque suo (nulla est jactura) saluta ;
junge tuis humiles ambitiose manus.
Sed tamen et servo (levis est impensa) roganti
porrige Fortunae munera parva die ;
porrige et ancillae, qua poenas luce pependit
lusa maritali Gallica veste manus.
Fac plebem, mihi crede, tuam ; sit semper in illa
janitor et thalami qui jacet ante fores.
Nec dominam jubeo pretioso munere dones ;
parva, sed e parvis callidus apta dato.
Dum bene dives ager, cum rami pondere nutant,
adferat in calatho rustica dona puer.

Rure suburbano poteris tibi dicere missa,
illa vel in sacra sint licet empta via.
Adferat aut uvas aut quas Amaryllis amabat
(at nunc castaneas non amat illa) nuces.
Quin etiam turdoque licet missaque corona
te memorem dominae testificere tuae.
Turpiter his emitur spes mortis et orba senectus.
A ! pereant per quos munera crimen habent.
Quid tibi praecipiam teneros quoque mittere versus ?
Ei mihi ! non multum carmen honoris habet.
Carmina laudantur, sed munera magna petuntur ;
dummodo sit dives, barbarus ipse placet.
Aurea sunt vere nunc saecula ; plurimus auro
venit honos, auro conciliatur amor.
Ipse licet venias Musis comitatus, Homere,
si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.
Sunt tamen et doctae, rarissima turba, puellae ;
altera non doctae turba, sed esse volunt.
Utraque laudetur per carmina ; carmina lector
commendet dulci qualiacumque sono.
His ergo aut illis vigilatum carmen in ipsas
forsitan exigui muneris instar erit.
At quod eris per te facturus et utile credis,
id tua te facito semper amica roget.
Libertas alicui fuerit promissa tuorum ;
hanc tamen a domina fac petat ille tua.
Si poenam servo, si vincula saeva remittis,
quod facturus eras, debeat illa tibi.
Utilitas tua sit, titulus donetur amicae ;
perde nihil, partes illa potentis agat.
Sed te, cuicumque est retinendae cura puellae,
attonitum forma fac putet esse sua.
Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus ;
sive erit in Cois, Coa decere puta.
Aurata est ? ipso tibi sit pretiosior auro ;
gausapa si sumit, gausapa sumpta proba.
Astiterit tunicata, "Moves incendia" clama,
sed timida, caveat frigora, voce roga.
Conpositum discrimen erit : discrimina lauda ;
torserit igne comam : torte capille, place.
Brachia saltantis, vocem mirare canentis,
et, quod desierit, verba querentis habe.
Ipsos concubitus, ipsum venerere licebit
quod juvat, et quae dat gaudia noctis habet.
Ut fuerit torva violentior illa Medusa,
fiet amatori lenis et aequa suo.
Tantum, ne pateas verbis simulator in illis,
effice nec vultu destrue dicta tuo.
Si latet ars, prodest ; adfert deprensa pudorem
atque adimit merito tempus in omne fidem.
Saepe sub autumnum, cum formosissimus annus
plenaque purpureo subrubet uva mero,
cum modo frigoribus premimur, modo solvitur aestu,
aere non certo corpora languor habet.
Illa quidem valeat, sed, si male firma cubarit
et vitium caeli senserit aegra sui,
tunc amor et pietas tua sit manifesta puellae.
Tum sere, quod plena postmodo falce metas.

Nec tibi morosi veniant fastidia morbi,
perque tuas fiant, quae sinet ipsa, manus.
Et videat flentem nec taedeat oscula ferre
et sicco lacrimas conbibat ore tuas.
Multa vove, sed cuncta palam, quotiesque libebit,
quae referas illi, somnia laeta vide.
Et veniat, quae lustret anus lectumque locumque,
praeferat et tremula sulpur et ova manu.
Omnibus his inerunt gratae vestigia curae ;
in tabulas multis haec via fecit iter.
Nec tamen officiis odium quaeratur ab aegra ;
sit suus in blanda sedulitate modus.
Neve cibo prohibe nec amari pocula suci
porrige : rivalis misceat illa tuus.
Sed non, quo dederas a litore carbasa, vento
utendum, medio cum potiere freto.
Dum novus errat amor, vires sibi colligat usu ;
si bene nutrieris, tempore firmus erit.
Quem taurum metuis, vitulum mulcere solebas ;
sub qua nunc recubas arbore, virga fuit ;
nascitur exiguus, sed opes adquirit eundo,
quaque venit, multas accipit amnis aquas.
Fac tibi consuescat ; nil adsuetudine majus,
quam tu, dum capias, taedia nulla fuge.
Te semper videat, tibi semper praebeat aures,
exhibeat vultus noxque diesque tuos.
Cum tibi major erit fiducia posse requiri,
cum procul absenti cura futurus eris,
da requiem : requietus ager bene credita reddit,
terraque caelestes arida sorbet aquas.
Phyllida Demophoon praesens moderatius ussit,
exarsit velis acrius illa datis.
Penelopen absens sollers torquebat Ulixes ;
Phylacides aberat, Laodamia, tuus.
Sed mora tuta brevis ; lentescunt tempore curae,
vanescitque absens et novus intrat amor.
Dum Menelaus abest, Helene, ne sola jaceret,
hospitis est tepido nocte recepta sinu.
Quis stupor hic, Menelae, fuit ? tu solus abibas ;
isdem sub tectis hospes et uxor erant.
Accipitri timidas credis, furiose, columbas ;
plenum montano credis ovile lupo.
Nil Helene peccat ; nihil hic committit adulter ;
quod tu, quod faceret quilibet, ille facit.
Cogis adulterium dando tempusque locumque ;
quid nisi consilio est usa puella tuo ?
Quid faciat ? Vir abest, et adest non rusticus hospes,
et timet in vacuo sola cubare toro.
Viderit Atrides : Helenen ego crimine solvo ;
usa est humani commoditate viri.
Sed neque fulvus aper media tam saevus in ira est,
fulmineo rabidos cum rotat ore canes,
nec lea, cum catulis lactentibus ubera praebet,
nec brevis ignaro vipera laesa pede,
femina quam socii deprensa paelice lecti
ardet et in vultu pignora mentis habet.
In ferrum flammasque ruit positoque decore
fertur, ut Aonii cornibus icta dei.

Conjugis admissum violataque jura marita est
barbara per natos Phasias ulta suos.
Altera dira parens haec est, quam cernis, hirundo :
aspice, signatum sanguine pectus habet.
Hoc bene compositos, hoc firmos solvit amores ;
crimina sunt cautis ista timenda viris.
Nec mea vos uni damnat censura puellae ;
di melius ! vix hoc nupta tenere potest.
Ludite, sed furto celetur culpa modesto ;
Gloria peccati nulla petenda sui est.
Nec dederis munus, cognosse quod altera possit,
nec sint nequitiae tempora certa tuae.
Et, ne te capiat latebris sibi femina notis,
non uno est omnis convenienda loco,
et quotiens scribes, totas prius ipse tabellas
inspice ; plus multae, quam sibi missa, legunt.
Laesa Venus justa arma movet telumque remittit
et, modo quod questa est, ipse querare facit.
Dum fuit Atrides una contentus, et illa
casta fuit ; vitio est improba facta viri.
Audierat laurumque manu vittasque ferentem
pro nata Chrysen non valuisse sua ;
audierat, Lyrnesi, tuos, abducta dolores
bellaque per turpis longius isse moras.
Haec tamen audierat ; Priameida viderat ipsa
(victor erat praedae praeda pudenda suae) ;
Inde Thyestiaden animo thalamoque recepit
et male peccantem Tyndaris ulta virum.
Quae bene celaris, siqua tamen acta patebunt,
illa, licet pateant, tu tamen usque nega.
Tum neque subjectus solito nec blandior esto ;
haec animi multum signa nocentis habent.
Sed lateri ne parce tuo ; pax omnis in uno est ;
concubitu prior est infitianda Venus.
Sunt quae praecipiant herbas, satureia, nocentes
sumere ; judiciis ista venena meis ;
aut piper urticae mordacis semine miscent
tritaque in annoso flava pyrethra mero ;
sed dea non patitur sic ad sua gaudia cogi,
colle sub umbroso quam tenet altus Eryx.
Candidus, Alcathoi qui mittitur urbe Pelasga,
bulbus, et, ex horto quae venit, herba salax
ovaque sumantur, sumantur Hymettia mella,
quasque tulit folio pinus acuta nuces.
Docta, quid ad magicas, Erato, deverteris artes ?
Interior curru meta terenda meo est.
Qui modo celabas monitu tua crimina nostro,
flecte iter et monitu detege furta meo.
Nec levitas culpanda mea est : non semper eodem
impositos vento panda carina vehit.
Nam modo Threicio Borea, modo currimus Euro,
saepe tument Zephyro lintea, saepe Noto.
Aspice ut in curru modo det fluitantia rector
lora, modo admissos arte retentet equos.
Sunt quibus ingrate timida indulgentia servit
et, si nulla subest aemula, languet amor.
Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
nec facile est aequa commoda mente pati.

Ut levis absumptis paulatim viribus ignis
ipse latet, summo canet in igne cinis,
sed tamen extinctas admoto sulpure flammas
invenit, et lumen, quod fuit ante, redit ;
sic, ubi pigra situ securaque pectora torpent,
acribus est stimulis eliciendus amor.
Fac timeat de te tepidamque recalface mentem ;
palleat indicio criminis illa tui.
O quater et quotiens numero conprendere non est
felicem, de quo laesa puella dolet,
quae, simul invitas crimen pervenit ad aures,
excidit et miserae voxque colorque fugit.
Ille ego sim, cujus laniet furiosa capillos ;
ille ego sim, teneras cui petat ungue genas,
quem videat lacrimans, quem torvis spectet ocellis,
quo sine non possit vivere, posse velit.
Si spatium quaeras, breve sit, quo laesa queratur,
ne lenta vires colligat ira mora ;
candida jamdudum cingantur colla lacertis,
inque tuos flens est accipienda sinus.
Oscula da flenti, Veneris da gaudia flenti,
pax erit ; hoc uno solvitur ira modo.
Cum bene saevierit, cum certa videbitur hostis,
tum pete concubitus foedera ; mitis erit.
Illic depositis habitat Concordia telis,
illo, crede mihi, Gratia nata loco est.
Quae modo pugnarunt, jungunt sua rostra columbae,
quarum blanditias verbaque murmur habet.
Prima fuit rerum confusa sine ordine moles,
unaque erat facies sidera, terra, fretum ;
mox caelum impositum terris, humus aequore cincta est,
inque suas partes cessit inane chaos ;
silva feras, volucres aer accepit habendas,
in liquida, pisces, delituistis aqua.
Tum genus humanum solis errabat in agris,
idque merae vires et rude corpus erat ;
silva domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes,
jamque diu nulli cognitus alter erat.
Blanda truces animos fertur mollisse voluptas ;
constiterant uno femina virque loco ;
quid facerent, ipsi nullo didicere magistro ;
arte Venus nulla dulce peregit opus.
Ales habet quod amet ; cum quo sua gaudia jungat
invenit in media femina piscis aqua ;
cerva parem sequitur, serpens serpente tenetur,
haeret adulterio cum cane nexa canis ;
laeta salitur ovis ; tauro quoque laeta juvenca est ;
sustinet inmundum sima capella marem ;
in furias agitantur equae spatioque remota
per loca dividuos amne sequuntur equos.
Ergo age et iratae medicamina fortia praebe ;
illa feri requiem sola doloris habent,
illa Machaonios superant medicamina sucos ;
his, ubi peccaris, restituendus eris.
Haec ego cum canerem, subito manifestus Apollo
movit inauratae pollice fila lyrae.
In manibus laurus, sacris inducta capillis
laurus erat, vates ille videndus adit.

Is mihi "Lascivi, dixit, praeceptor Amoris,
duc, age, discipulos ad mea templa tuos ;
est ubi diversum fama celebrata per orbem
littera, cognosci quae sibi quemque jubet.
Qui sibi notus erit, solus sapienter amabit
atque opus ad vires exiget omne suas.
Cui faciem natura dedit, spectetur ab illa ;
cui color est, umero saepe patente cubet ;
qui sermone placet, taciturna silentia vitet ;
qui canit arte, canat ; qui bibit arte, bibat.
Sed neque declament medio sermone diserti,
nec sua non sanus scripta poeta legat."
Sic monuit Phoebus : Phoebo parete monenti.
Certa dei sacro est hujus in ore fides.
Ad propiora vocor. Quisquis sapienter amabit,
vincet et e nostra, quod petet, arte feret.
Credita non semper sulci cum faenore reddunt,
nec semper dubias adjuvat aura rates ;
quod juvat, exiguum, plus est, quod laedat amantes ;
proponant animo multa ferenda suo.
Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla,
caerula quot bacas Palladis arbor habet,
litore quot conchae, tot sunt in amore dolores.
Quae patimur, multo spicula felle madent.
Dicta erit isse foras, quom tu fortasse videres ;
isse foras et te falsa videre puta.
Clausa tibi fuerit promissa janua nocte ;
perfer et immunda ponere corpus humo.
Forsitan et vultu mendax ancilla superbo
dicet : "Quid nostras obsidet iste fores ? "
Postibus et durae supplex blandire puellae
et capiti demptas in fore pone rosas.
Cum volet, accedes ; cum te vitabit, abibis ;
dedecet ingenuos taedia ferre sui.
"Effugere hunc non est" quare tibi possit amica
dicere ? non omni tempore sensus obest.
Nec maledicta puta nec verbera ferre puellae
turpe nec ad teneros oscula ferre pedes.
Quid moror in parvis ? animus majoribus instat.
Magna canam ; toto pectore, vulgus, ades !
Ardua molimur ; sed nulla, nisi ardua, virtus ;
difficilis nostra poscitur arte labor.
Rivalem patienter habe ; victoria tecum
stabit ; eris magni victor in arte Jovis.
Haec tibi non hominem, sed quercus crede Pelasgas
dicere. Nil istis ars mea majus habet.
Innuet illa ; feras ; scribet, ne tange tabellas ;
unde volet, veniat, quoque libebit, eat.
Hoc in legitima praestant uxore mariti,
cum, tener, ad partes tu quoque, Somne, venis.
Hac ego, confiteor, non sum perfectus in arte.
Quid faciam ? monitis sum minor ipse meis.
Mene palam nostrae det quisquam signa puellae ?
et patiar, nec me quo libet ira ferat ?
Oscula vir dederat, memini, suus ; oscula questus
sum data ; barbaria noster abundat amor.
Non semel hoc vitium nocuit mihi ; doctior ille,
quo veniunt alii conciliante viro.

Sed melius nescisse fuit ; sine furta tegantur,
ne fugiat ficto fassus ab ore pudor.
Quo magis, o juvenes, deprendere parcite vestras ;
peccent, peccantes verba dedisse putent.
Crescit amor prensis ; ubi par fortuna duorum est,
in causa damni perstat uterque sui.
Fabula narratur toto notissima caelo
mulciberis capti Marsque Venusque dolis.
Mars pater insano Veneris turbatus amore
de duce terribili factus amator erat,
nec Venus oranti (neque enim dea mollior ulla est)
rustica Gradivo difficilisque fuit.
A ! quotiens lasciva pedes risisse mariti
dicitur et duras igne vel arte manus !
Marte palam simul est Vulcanum imitata. Decebat,
multaque cum forma gratia mixta fuit.
Sed bene concubitus primos celare solebant ;
plena verecundi culpa pudoris erat.
Indicio Solis (quis Solem fallere possit ?)
cognita Vulcano conjugis acta suae.
Quam mala, Sol, exempla moves ! Pete munus ab ipsa ;
et tibi, si taceas, quod dare possit, habet.
Mulciber obscuros lectum circaque superque
disponit laqueos ; lumina fallit opus.
Fingit iter Lemnon ; veniunt ad foedus amantes ;
inpliciti laqueis nudus uterque jacent.
Convocat ille deos ; praebent spectacula capti ;
vix lacrimas Venerem continuisse putant.
Non vultus texisse suos, non denique possunt
partibus obscenis opposuisse manus.
Hic aliquis ridens : "In me, fortissime Mavors,
si tibi sunt oneri, vincula transfer" ait.
Vix precibus, Neptune, tuis captiva resolvit
corpora ; Mars Thracen occupat, illa Paphum.
Hoc tibi pro facto, Vulcane, quod ante tegebant,
liberius faciunt, et pudor omnis abest ;
saepe tamen demens stulte fecisse fateris
teque ferunt artis paenituisse tuae.
Hoc vetiti vos este ; vetat deprensa Dione
insidias illas, quas tulit ipsa, dare.
Nec vos rivali laqueos disponite nec vos
excipite arcana verba notata manu.
Ista viri captent, si jam captanda putabunt,
quos faciet justos ignis et unda viros.
En, iterum testor, nihil hic nisi lege remissum
luditur ; in nostris instita nulla jocis.
Quis Cereris ritus ausit vulgare profanis,
magnaque Threicia sacra reperta Samo ?
Exigua est virtus praestare silentia rebus ;
at contra gravis est culpa tacenda loqui.
O bene, quod frustra captatis arbore pomis
garrulus in media Tantalus aret aqua !
Praecipue Cytherea jubet sua sacra taceri ;
admoneo, veniat nequis ad illa loquax.
Condita si non sunt Veneris mysteria cistis,
nec cava vesanis ictibus aera sonant,
attamen inter nos medio versantur in usu,
sed sic inter nos ut latuisse velint.

Ipsa Venus pubem, quotiens velamina ponit,
protegitur laeva semireducta manu.
In medio passimque coit pecus ; hoc quoque viso
avertit vultus nempe puella suos.
Conveniunt thalami furtis et janua nostris,
parsque sub injecta veste pudenda latet,
et si non tenebras, ad quiddam nubis opacae
quaerimus atque aliquid luce patente minus.
Tum quoque, cum solem nondum prohibebat et imbrem
tegula, sed quercus tecta cibumque dabat,
in nemore atque antris, non sub Jove, juncta voluptas,
tanta rudi populo cura pudoris erat !
At nunc nocturnis titulos inponimus actis,
atque emitur magno nil nisi posse loqui.
Scilicet excuties omnes ubiquaque puellas,
cuilibet ut dicas "Haec quoque nostra fuit",
nec desint quas tu digitis ostendere possis,
ut quamque adtigeris, fabula turpis erit.
Parva queror. Fingunt quidam, quae vera negarent,
et nulli non se concubuisse ferunt.
Corpora si nequeunt, quae possunt, nomina tangunt,
famaque non tacto corpore crimen habet.
I nunc, claude fores, custos odiose puellae,
et centum duris postibus obde seras.
Quid tuti superest, cum nominis extat adulter,
et credi, quod non contigit esse, cupit ?
Nos etiam veros parce profitemur amores,
Tectaque sunt solida mystica furta fide.
Parcite praecipue vitia exprobrare puellis,
utile quae multis dissimulasse fuit.
Nec suus Andromedae color est objectus ab illo,
mobilis in gemino cui pede pinna fuit.
Omnibus Andromache visa est spatiosior aequo ;
unus, qui modicam diceret, Hector erat.
Quod male fers, adsuesce ; feres bene ; multa vetustas
lenit, at incipiens omnia sentit amor.
Dum novus in viridi coalescit cortice ramus,
concutiat tenerum quaelibet aura, cadet ;
Mox etiam ventis spatio durata resistet
firmaque adoptivas arbor habebit opes.
Eximit ipsa dies omnes e corpore mendas,
quodque fuit vitium, desinit esse mora.
Ferre novae nares taurorum terga recusant ;
adsidue domitas tempore fallit odor.
Nominibus mollire licet mala. Fusca vocetur,
nigrior Illyrica cui pice sanguis erit ;
si paeta est, Veneri similis, si rava, Minervae ;
sit gracilis, macie quae male viva sua est ;
dic habilem, quaecumque brevis, quae turgida, plenam,
et lateat vitium proximitate boni.
Nec quotus annus eat, nec quo sit nata require
consule, quae rigidus munera censor habet,
praecipue si flore caret, meliusque peractum
tempus, et albentes jam legit illa comas.
Utilis, o juvenes, aut haec aut serior aetas :
iste feret segetes, iste serendus ager.
Dum vires annique sinunt, tolerate labores ;
jam veniet tacito curva senecta pede.

Aut mare remigiis, aut vomere findite terras,
aut fera belligeras addite in arma manus,
aut latus et vires operamque adferte puellis ;
hoc quoque militia est, hoc quoque quaerit opes.
Adde, quod est illis operum prudentia major,
solus et, artifices qui facit, usus adest.
Illae munditiis annorum damna rependunt
et faciunt cura ne videantur anus.
Utque velis, Venerem jungunt per mille figuras ;
invenit plures nulla tabella modos.
Illis sentitur non inritata voluptas ;
quod juvet, ex aequo femina virque ferant.
Odi concubitus qui non utrumque resolvunt
(hoc est cur pueri tangar amore minus) ;
odi quae praebet, quia sit praebere necesse,
siccaque de lana cogitat ipsa sua.
Quae datur officio, non est mihi grata voluptas ;
officium faciat nulla puella mihi.
Me voces audire juvat sua gaudia fassas ;
atque, morer, me, me sustineamque, roget.
Adspiciam dominae victos amentis ocellos ;
langueat et tangi se vetet illa diu.
Haec bona non primae tribuit natura juventae,
quae cito post septem lustra venire solent.
Qui properant, nova musta bibant ; mihi fundat avitum
consulibus priscis condita testa merum.
Nec platanus, nisi sera, potest obsistere Phoebo,
et laedunt nudos prata novella pedes.
Scilicet Hermionen Helenae praeponere posses,
et melior Gorge quam sua mater erat ?
At venerem quicumque voles adtingere seram,
si modo duraris, praemia digna feres.
Conscius ecce duos accepit lectus amantes ;
ad thalami clausas, Musa, resiste fores.
Sponte sua sine te celeberrima verba loquentur,
nec manus in lecto laeva jacebit iners.
Invenient digiti quod agant in partibus illis,
in quibus occulte spicula tingit Amor.
Fecit in Andromache prius hoc fortissimus Hector,
nec solum bellis utilis ille fuit.
Fecit et in capta Lyrneside magnus Achilles,
cum premeret mollem lassus ab hoste torum.
Illis te manibus tangi, Brisei, sinebas,
imbutae Phrygia quae nece semper erant.
An fuit hoc ipsum, quod te, lasciva, juvaret,
ad tua victrices membra venire manus ?
Crede mihi, non est Veneris properanda voluptas,
sed sensim tarda prolicienda mora.
Cum loca reppereris, quae tangi femina gaudet,
non obstet, tangas quo minus illa, pudor.
Adspicies oculos tremulo fulgore micantes,
ut sol a liquida saepe refulget aqua.
Accedent questus, accedet amabile murmur
et dulces gemitus aptaque verba joco.
Sed neque tu dominam velis majoribus usus
desine, nec cursus anteat illa tuos ;
ad metam properate simul ; tum plena voluptas,
cum pariter victi femina virque jacent.

729 Hic tibi versandus tenor est, cum libera dantur
730 otia, furtivum nec timor urget opus.
731 Cum mora non tuta est, totis incumbere remis
732 utile et admisso subdere calcar equo.
733 Finis adest operi. Palmam date, grata juventus,
734 sertaque odoratae myrtea ferte comae.
735 Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi,
736 Aeacides dextra, pectore Nestor erat,
737 quantus erat Calchas extis, Telamonius armis,
738 Automedon curru, tantus amator ego.
739 Me vatem celebrate, viri, mihi dicite laudes,
740 cantetur toto nomen in orbe meum.
741 Arma dedi vobis ; dederat Vulcanus Achilli ;
742 vincite muneribus, vicit ut ille, datis.
743 Sed quicumque meo superarit Amazona ferro,
744 inscribat spoliis "Naso magister erat".
745 Ecce, rogant tenerae, sibi dem praecepta, puellae.
746 Vos eritis chartae proxima cura meae.

A_A.3 v.1 Arma dedi Danais in Amazonas ; arma supersunt
2 quae tibi dem et turmae, Penthesilea, tuae.
3 Ite in bella pares ; vincant, quibus alma Dione
4 faverit et, toto qui volat orbe, puer.
5 Non erat armatis aequum concurrere nudas ;
6 sic etiam vobis vincere turpe, viri.
7 Dixerit e multis aliquis : "Quid virus in angues
8 adicis et rabidae tradis ovile lupae ? "
9 Parcite paucarum diffundere crimen in omnes ;
10 spectetur meritis quaeque puella suis.
11 Si minor Atrides Helenen Helenesque sororem
12 quo premat Atrides crimine major habet,
13 si scelere Oeclides Talaioniae Eriphylae
14 vivus et in vivis ad Styga venit equis,
15 est pia Penelope lustris errante duobus
16 et totidem lustris bella gerente viro.
17 Respice Phylaciden et quae comes isse marito
18 fertur et ante annos occubuisse suos.
19 Fata Pheretiadae conjunx Pagasaea redemit
20 proque viro est uxor funere lata viri.
21 "Accipe me, Capaneu ! Cineres miscebimus", inquit
22 Iphias in medios desiluitque rogos.
23 Ipsa quoque et cultu est et nomine femina Virtus.
24 Non mirum, populo si placet illa suo.
25 Nec tamen hae mentes nostra poscuntur ab arte ;
26 conveniunt cumbae vela minora meae.
27 Nil nisi lascivi per me discuntur amores :
28 femina praecipiam quo sit amanda modo.
29 Femina nec flammas nec saevos excutit arcus ;
30 parcius haec video tela nocere viris.
31 Saepe viri fallunt, tenerae non saepe puellae,
32 paucaque, si quaeras, crimina fraudis habent.
33 Phasida, jam matrem fallax dimisit Iason ;
34 venit in Aesonios altera nupta sinus.
35 Quantum in te, Theseu, volucres Ariadna marinas
36 pavit, in ignoto sola relicta loco.
37 Quaere, novem cur una viae dicantur, et audi

depositis silvas Phyllida flesse comis.
Et famam pietatis habet tamen hospes et ensem
praebuit et causam mortis, Elissa, tuae.
Quid vos perdiderit, dicam ; nescistis amare :
defuit ars vobis ; arte perennat amor.
Nunc quoque nescirent. Sed me Cytherea docere
jussit et ante oculos constitit ipsa meos.
Tum mihi "Quid miserae, dixit, meruere puellae ?
Traditur armatis vulgus inerme viris.
Illos artifices gemini fecere libelli ;
haec quoque pars monitis erudienda tuis.
Probra Therapnaeae qui dixerat ante maritae,
mox cecinit laudes prosperiore lyra.
Si bene te novi, cultas ne laede puellas.
Gratia, dum vives, ista petenda tibi est."
Dixit et e myrto (myrto nam vincta capillos
constiterat) folium granaque pauca dedit ;
sensimus acceptis numen quoque ; purior aether
fulsit et e toto pectore cessit onus.
Dum facit ingenium, petite hinc praecepta, puellae,
quas pudor et leges et sua jura sinunt.
Venturae memores jam nunc estote senectae ;
sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet et vernos etiamnum educitis annos,
ludite ; eunt anni more fluentis aquae ;
nec quae praeteriit, iterum revocabitur unda,
nec quae praeteriit, hora redire potest.
Utendum est aetate ; cito pede labitur aetas
nec bona tam sequitur quam bona prima fuit.
Hos ego, qui canent, frutices violaria vidi,
hac mihi de spina grata corona data est.
Tempus erit, quo tu, quae nunc excludis amantes,
frigida deserta nocte jacebis anus,
nec tua frangetur nocturna janua rixa,
sparsa nec invenies limina mane rosa.
Quam cito, me miserum, laxantur corpora rugis,
et perit, in nitido qui fuit ore, color.
Quasque fuisse tibi canas a virgine juras,
spargentur subito per caput omne comae.
Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas,
nec faciunt cervos cornua jacta senes ;
nostra sine auxilio fugiunt bona ; carpite florem,
qui, nisi carptus erit, turpiter ipse cadet.
Adde quod et partus faciunt breviora juventae
tempora ; continua messe senescit ager.
Latmius Endymion non est tibi, Luna, rubori,
nec Cephalus roseae praeda pudenda deae.
Ut Veneri, quem luget adhuc, donetur Adonis,
unde habet Aenean Harmoniamque suos ?
Ite per exemplum, genus o mortale, dearum,
gaudia nec cupidis vestra negate viris.
Ut jam decipiant, quid perditis ? omnia constant ;
mille licet sumant, deperit inde nihil.
Conteritur ferrum, silices tenuantur ab usu :
sufficit et damni pars caret illa metu.
Quis vetet adposito lumen de lumine sumi,
Quisve cavo vastas in mare servet aquas ?
Et tamen ulla viro mulier "non expedit" inquit ?

Quid, nisi quam sumes, dic mihi, perdis aquam ?
Nec vos prostituit mea vox, sed vana timere
damna vetat ; damnis munera vestra carent.
Sed me flaminibus venti majoris iturum,
dum sumus in portu, provehat aura levis !
Ordior a cultu. Cultis bene Liber ab uvis
provenit, et culto stat seges alta solo.
Forma dei munus ; forma quota quaeque superbit ?
Pars vestrum tali munere magna caret.
Cura dabit faciem ; facies neglecta peribit,
Idaliae similis sit licet illa deae.
Corpora si veteres non sic coluere puellae,
nec veteres cultos sic habuere viros ;
si fuit Andromache tunicas induta valentes,
quid mirum ? duri militis uxor erat.
Scilicet Ajaci conjunx ornata venires,
cui tegumen septem terga fuere boum ?
Simplicitas rudis ante fuit ; nunc aurea Roma est
et domiti magnas possidet orbis opes.
Adspice quae nunc sunt Capitolia, quaeque fuerunt ;
alterius dices illa fuisse Jovis.
Curia concilio quae nunc dignissima tanto ;
de stipula Tatio regna tenente fuit.
Quae nunc sub Phoebo ducibusque Palatia fulgent,
quid nisi araturis pascua bubus erant ?
Prisca juvent alios ; ego me nunc denique natum
gratulor ; haec aetas moribus apta meis.
Non quia nunc terrae lentum subducitur aurum,
lectaque diverso litore concha venit,
nec quia decrescunt effosso marmore montes,
nec quia caeruleae mole fugantur aquae,
sed quia cultus adest, nec nostros mansit in annos
rusticitas priscis illa superstes avis.
Vos quoque nec caris aures onerate lapillis,
quos legit in viridi decolor Indus aqua,
nec prodite graves insuto vestibus auro :
per quas nos petitis, saepe fugatis, opes.
Munditiis capimur. Non sint sine lege capilli ;
admotae formam dantque negantque manus.
Nec genus ornatus unum est ; quod quamque decebit,
eligat et speculum consulat ante suum.
Longa probat facies capitis discrimina puri ;
sic erat ornatis Laodamia comis.
Exiguum summa nodum sibi fronte relinqui,
ut pateant aures, ora rotunda volunt.
Alterius crines umero jactentur utroque ;
talis es adsumpta, Phoebe canore, lyra.
Altera succinctae religetur more Dianae,
ut solet, attonitas cum petit illa feras.
Huic decet inflatos laxe jacuisse capillos ;
illa sit adstrictis impedienda comis ;
hanc placet ornari testudine Cyllenea ;
sustineat similes fluctibus illa sinus.
Sed neque ramosa numerabis in ilice glandes,
nec quot apes Hyblae, nec quot in Alpe ferae,
nec mihi tot positus numero conprendere fas est ;
adicit ornatus proxima quaeque dies.
Et neglecta decet multas coma ; saepe jacere

hesternam credas, illa repexa modo est.
Ars casum simulat. Sic capta vidit ut urbe
Alcides Iolen, "Hanc ego, dixit, amo" ;
talem te Bacchus, Satyris clamantibus "euhoe !"
sustulit in currus, Gnosi relicta, suos.
O quantum indulget vestro natura decori,
quarum sunt multis damna pianda modis !
Nos male detegimur, raptique aetate capilli
ut Borea frondes excutiente cadunt.
Femina canitiem Germanis inficit herbis,
et melior vero quaeritur arte color ;
femina procedit densissima crinibus emptis
proque suis alios efficit aere suos.
Nec pudor est emisse palam ; venire videmus
Herculis ante oculos virgineumque chorum.
Quid de veste loquar ? Nec vos segmenta requiro,
nec quae de Tyrio murice, lana, rubes ;
cum tot prodierint pretio leviore colores,
quis furor est census corpore ferre suos ?
Aeris ecce color, tum cum sine nubibus aer,
nec tepidus pluvias concitat auster aquas.
Ecce tibi similis, quae quondam Phrixon et Hellen
diceris Inois eripuisse dolis.
Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis ;
crediderim nymphas hac ego veste tegi.
Ille crocum simulat (croceo velatur amictu
roscida luciferos cum dea jungit equos),
hic Paphias myrtos, hic purpureas amethystos
albentesve rosas, Threiciamve gruem.
Nec glandes, Amarylli, tuae, nec amygdala desunt
et sua velleribus nomina cera dedit.
Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
vitis agit gemmas pigraque fugit hiemps,
lana tot aut plures sucos bibit ; elige certos ;
nam non conveniens omnibus omnis erit.
Pulla decent niveas : Briseida pulla decebant ;
cum rapta est, pulla tum quoque veste fuit.
Alba decent fuscas ; albis, Cephei, placebas ;
sic tibi vestitae pressa Seriphos erat.
Quam paene admonui ne trux caper iret in alas
neve forent duris aspera crura pilis !
Sed non Caucasea doceo de rupe puellas,
quaeque bibant undas, Myse Caice, tuas.
Quid, si praecipiam ne fuscet inertia dentes
oraque suscepta mane laventur aqua ?
Scitis et inducta candorem quaerere creta ;
sanguine quae vero non rubet, arte rubet.
Arte supercilii confinia nuda repletis,
parvaque sinceras velat aluta genas.
Nec pudor est oculos tenui signare favilla
vel prope te nato, lucide Cydne, croco.
Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae,
parvus, sed cura grande, libellus, opus :
hinc quoque praesidium laesae petitote figurae.
Non est pro vestris ars mea rebus iners.
Non tamen expositas mensa deprendat amator
pyxidas ; ars faciem dissimulata juvat.
Quem non offendat toto faex inlita vultu,

cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus ?
Oesypa quid redolent, quamvis mittatur Athenis
demptus ab inmundo vellere sucus ovis ?
Nec coram mixtas cervae sumpsisse medullas
nec coram dentes defricuisse probem.
Ista dabunt formam, sed erunt deformia visu,
multaque, dum fiunt turpia, facta placent.
Quae nunc nomen habent operosi signa Myronis,
pondus iners quondam duraque massa fuit ;
anulus ut fiat, primo conliditur aurum ;
quas geritis vestis, sordida lana fuit ;
cum fieret, lapis asper erat ; nunc, nobile signum,
nuda Venus madidas exprimit imbre comas.
Tu quoque dum coleris, nos te dormire putemus ;
aptius a summa conspiciere manu.
Cur mihi nota tuo causa est candoris in ore ?
Claude forem thalami ; quid rude prodis opus ?
Multa viros nescire decet ; pars maxima rerum
offendat, si non interiora tegas.
Aurea quae splendent ornato signa theatro,
inspice quam tenuis brattea ligna tegat ;
sed neque ad illa licet populo, nisi facta, venire,
nec nisi summotis forma paranda viris.
At non pectendos coram praebere capillos,
ut jaceant fusi per tua terga, veto.
Illo praecipue ne sis morosa caveto
tempore nec lapsas saepe resolve comas.
Tuta sit ornatrix ; odi quae sauciat ora
unguibus et rapta brachia figit acu.
Devovet (et tangit !) dominae caput illa simulque
plorat ad invisas sanguinolenta comas.
Qua male crinita est, custodem in limine ponat
orneturve Bonae semper in aede Deae.
Dictus eram subito cuidam venisse puellae ;
turbida perversas induit illa comas.
Hostibus eveniat tam foedi causa pudoris,
inque nurus Parthas dedecus illud eat.
Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus
et sine fronde frutex et sine crine caput.
Non mihi venistis, Semele Ledeve, docendae,
perve fretum falso Sidoni vecta bove,
aut Helene, quam non stulte, Menelae, reposcis,
tu quoque non stulte, Troice raptor, habes.
Turba docenda venit pulchrae turpesque puellae,
pluraque sunt semper deteriora bonis.
Formosae non artis opem praeceptaque quaerunt ;
est illis sua dos, forma sine arte potens.
Cum mare compositum est, securus navita cessat ;
cum tumet, auxiliis adsidet ille suis.
Rara tamen mendo facies caret ; occule mendas,
quaque potes, vitium corporis abde tui.
Si brevis es, sedeas, ne stans videare sedere,
inque tuo jaceas quantulacumque toro ;
hic quoque, ne possit fieri mensura cubantis,
injecta lateant fac tibi veste pedes.
Quae nimium gracilis, pleno velamina filo
sumat, et ex umeris laxus amictus eat.
Pallida purpureis spargat sua corpora virgis,

nigrior ad Phariae confuge vestis opem.
Pes malus in nivea semper celetur aluta,
arida nec vinclis crura resolve suis.
Conveniunt tenues scapulis analeptrides altis ;
angustum circa fascia pectus eat.
Exiguo signet gestu quodcumque loquetur,
cui digiti pingues et scaber unguis erit.
Cui gravis oris odor, numquam jejuna loquatur
et semper spatio distet ab ore viri.
Si niger aut ingens aut non erit ordine natus
dens tibi, ridendo maxima damna feres.
Quis credat ? discunt etiam ridere puellae,
quaeritur aque illis hac quoque parte decor.
Sint modici rictus parvaeque utrimque lacunae,
et summos dentes ima labella tegant.
Nec sua perpetuo contendant ilia risu :
sed leve nescio quid femineumque sonet !
Est quae perverso distorqueat ora cachinno ;
cum risu fusa est altera, flere putes.
Illa sonat raucum quiddam atque inamabile ridet,
ut rudit a scabra turpis asella mola.
Quo non ars penetrat ? discunt lacrimare decenter,
quoque volunt plorant tempore quoque modo.
Quid, cum legitima fraudatur littera voce,
blaesaque fit jusso lingua coacta sono ?
In vitio decor est quaedam male reddere verba :
discunt posse minus quam potuere loqui.
Omnibus his, quoniam prosunt, inpendite curam.
Discite femineo corpora ferre gradu ;
est et in incessu pars non contempta decoris ;
allicit ignotos ille fugatque viros.
Haec movet arte latus tunicisque fluentibus auras
accipit extensos fertque superba pedes ;
illa velut conjunx Umbri rubicunda mariti
ambulat ingentes varica fertque gradus.
Sed sit, ut in multis, modus hic quoque ; rusticus alter
motus, concessu mollior alter erit.
Pars umeri tamen ima tui, pars summa lacerti
nuda sit, a laeva conspicienda manu.
Hoc vos praecipue, niveae, decet ; hoc ubi vidi,
oscula ferre umero, qua patet usque, libet.
Monstra maris Sirenes erant, quae voce canora
quamlibet admissas detinuere rates.
His sua Sisyphides auditis paene resolvit
corpora ; nam sociis inlita cera fuit.
Res est blanda canor ; discant cantare puellae
(pro facie multis vox sua lena fuit),
et modo marmoreis referant audita theatris
et modo Niliacis carmina lusa modis.
Nec plectrum dextra, citharam tenuisse sinistra
nesciat arbitrio femina docta meo.
Saxa ferasque lyra movit Rhodopeius Orpheus
Tartareosque lacus tergeminumque canem.
Saxa tuo cantu, vindex justissime matris,
fecerunt muros officiosa novos.
Quamvis mutus erat, voci favisse putatur
piscis, Arioniae fabula nota lyrae.
Disce etiam duplici genialia nablia palma

verrere ; conveniunt dulcibus illa jocis.
Sit tibi Callimachi, sit Coi nota poetae,
sit quoque vinosi Teia Musa senis ;
nota sit et Sappho (quid enim lascivius illa ?)
cuique pater vafri luditur arte Getae.
Et teneri possis carmen legisse Properti,
sive aliquid Galli, sive, Tibulle, tuum,
dictaque Varroni fulvis insignia villis
vellera germanae, Phrixe, querenda tuae,
et profugum Aenean, altae primordia Romae,
quo nullum Latio clarius extat opus.
Forsitan et nostrum nomen miscebitur istis,
nec mea Lethaeis scripta dabuntur aquis,
atque aliquis dicet : "Nostri lege culta magistri
carmina, quis partes instruit ille duas,
deve tribus libris, titulo quos signat Amorum,
elige, quod docili molliter ore legas,
vel tibi conposita cantetur Epistula voce ;
ignotum hoc aliis ille novavit opus."
O ita, Phoebe, velis, ita vos, pia numina vatum,
insignis cornu Bacche, novemque deae.
Quis dubitet, quin scire velim saltare puellam,
ut moveat posito brachia jussa mero ?
Artifices lateris, scenae spectacula, amantur ;
tantum mobilitas illa decoris habet.
Parva monere pudet, talorum dicere jactus
ut sciat, et vires, tessera missa, tuas,
et modo tres jactet numeros, modo cogitet apte
quam subeat partem callida, quamque vocet,
cautaque non stulte latronum proelia ludat ;
unus cum gemino calculus hoste perit,
bellatorque sua prensus sine compare bellat,
aemulus et coeptum saepe recurrit iter.
Reticuloque pilae leves fundantur aperto,
nec, nisi quam tolles, ulla movenda pila est ;
est genus in totidem tenui ratione redactum
scriptula quot menses lubricus annus habet ;
parva tabella capit ternos utrimque lapillos,
in qua vicisse est continuasse suos.
Mille facesse jocos ; turpe est nescire puellam
ludere ; ludendo saepe paratur amor.
Sed minimus labor est sapienter jactibus uti ;
majus opus mores conposuisse suos.
Tum sumus incauti studioque aperimur in ipso
nudaque per lusus pectora nostra patent.
Ira subit, deforme malum, lucrique cupido
jurgiaque et rixae sollicitusque dolor ;
crimina dicuntur, resonat clamoribus aether ;
invocat iratos et sibi quisque deos.
Nulla fides tabulae. Quae non per vota petuntur !
Et lacrimis vidi saepe madere genas.
Juppiter a vobis tam turpia crimina pellat,
in quibus est ulli cura placere viro.
Hos ignava jocos tribuit natura puellis ;
materia ludunt uberiore viri.
Sunt illis celeresque pilae jaculumque trochique
armaque et in gyros ire coactus equus.
Nec vos Campus habet, nec vos gelidissima Virgo,

nec Tuscus placida devehit amnis aqua.
At licet et prodest Pompeias ire per umbras,
Virginis aetheriis cum caput ardet equis ;
visite laurigero sacrata Palatia Phoebo
(ille Paraetonicas mersit in alta rates)
quaeque soror conjunxque ducis monimenta pararunt
navalique gener cinctus honore caput ;
visite turicremas vaccae Memphitidos aras,
visite conspicuis terna theatra locis.
Spectentur tepido maculosae sanguine harenae,
metaque ferventi circueunda rota.
Quod latet, ignotum est ; ignoti nulla cupido ;
fructus abest, facies cum bona teste caret.
Tu licet et Thamyram superes et Amoebea cantu,
non erit ignotae gratia magna lyrae.
Si Venerem Cous nusquam posuisset Apelles,
mersa sub aequoreis illa lateret aquis.
Quid petitur sacris, nisi tantum fama, poetis ?
Hoc votum nostri summa laboris habet.
Cura deum fuerunt olim regumque poetae,
praemiaque antiqui magna tulere chori.
Sanctaque majestas et erat venerabile nomen
vatibus, et largae saepe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
contiguus poni, Scipio magne, tibi.
Nunc hederae sine honore jacent, operataque doctis
cura vigil Musis nomen inertis habet.
Sed famae vigilare juvat. Quis nosset Homerum,
Ilias aeternum si latuisset opus ?
Quis Danaen nosset, si semper clusa fuisset
inque sua turri perlatuisset anus ?
Utilis est vobis, formosae, turba, puellae ;
saepe vagos ultra limina ferte pedes.
Ad multas lupa tendit oves, praedetur ut unam
et Jovis in multas devolat ales aves.
Se quoque det populo mulier speciosa videndam ;
quem trahat, e multis forsitan unus erit.
Omnibus illa locis maneat studiosa placendi
et curam tota mente decoris agat.
Casus ubique valet ; semper tibi pendeat hamus ;
quo minime credis gurgite, piscis erit.
Saepe canes frustra nemorosis montibus errant,
inque plagam nullo cervus agente venit.
Quid minus Andromedae fuerat sperare revinctae
quam lacrimas ulli posse placere suas ?
Funere saepe viri vir quaeritur ; ire solutis
crinibus et fletus non tenuisse decet.
Sed vitate viros cultum formamque professos,
quique suas ponunt in statione comas.
Quae vobis dicunt, dixerunt mille puellis ;
errat et in nulla sede moratur Amor.
Femina quid faciat, cum sit vir levior ipsa,
forsitan et plures possit habere viros ?
Vix mihi credetis, sed credite : Troja maneret,
praeceptis Priamo si foret usa suis.
Sunt qui mendaci specie grassentur amoris
perque aditus talis lucra pudenda petant.
Nec coma vos fallat liquido nitidissima nardo

nec brevis in rugas lingula pressa suas,
nec toga decipiat filo tenuissima, nec si
anulus in digitis alter et alter erit.
Forsitan ex horum numero cultissimus ille
Fur sit et uratur vestis amore tuae.
"Redde meum ! " clamant spoliatae saepe puellae,
"Redde meum ! " toto voce boante foro :
has, Venus, e templis multo radiantibus auro
lenta vides lites Appiadesque tuae.
Sunt quoque non dubia quaedam mala nomina fama ;
deceptae multi crimen amantis habent.
Discite ab alterius vestras timuisse querellis ;
janua fallaci ne sit aperta viro.
Parcite, Cecropides, juranti credere Theseo ;
quos faciet testes, fecit et ante, deos.
Et tibi, Demophoon, Thesei criminis heres,
Phyllide decepta nulla relicta fides.
Si bene promittent, totidem promittite verbis,
si dederint, et vos gaudia pacta date.
Illa potest vigiles flammas extinguere Vestae
et rapere e templis, Inachi, sacra tuis
et dare mixta viro tritis aconita cicutis,
accepto Venerem munere siqua negat.
Fert animus propius consistere. Supprime habenas,
Musa, nec admissis excutiare rotis !
Verba vadum temptent abiegnis scripta tabellis,
accipiat missas apta ministra notas.
Inspice, quodque leges, ex ipsis collige verbis
fingat an ex animo sollicitusque roget,
postque brevem rescribe moram. Mora semper amantes
incitat, exiguum si modo tempus habet.
Sed neque te facilem juveni promitte roganti
nec tamen e duro, quod petit ille, nega.
Fac timeat speretque simul, quotiensque remittes,
spesque magis veniat certa minorque metus.
Munda sed e medio consuetaque verba, puellae,
scribite : sermonis publica forma placet.
A ! quotiens dubius scriptis exarsit amator,
et nocuit formae barbara lingua bonae !
Sed quoniam, quamvis vittae careatis honore,
est vobis vestros fallere cura viros,
ancillae puerique manus ferat arta tabellas,
pignora nec juveni credite vestra novo.
Perfidus ille quidem, qui talia pignora servat,
sed tamen Aetnaei fulminis instar habet.
Vidi ego pallentes isto terrore puellas
servitium miseras tempus in omne pati.
Judice me fraus est concessa repellere fraudem,
armaque in armatos sumere jura sinunt.
Ducere consuescat multas manus una figuras
(a ! pereant, per quos ista monenda mihi),
nec nisi deletis tutum rescribere ceris,
ne teneat geminas una tabella manus.
Femina dicatur scribenti semper amator ;
"illa" sit in vestris, qui fuit "ille", notis.
Si licet a parvis animum ad majora referre
plenaque curvato pandere vela sinu,
pertinet ad faciem rabidos compescere mores ;

candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira, nigrescunt sanguine venae,
lumina Gorgoneo saevius igne micant.
"I procul hinc, dixit, non es mihi, tibia, tanti",
ut vidit vultus Pallas in amne suos.
Vos quoque si media speculum spectetis in ira,
cognoscat faciem vix satis ulla suam.
Nec minus in vultu damnosa superbia vestro ;
comibus est oculis alliciendus amor.
Odimus inmodicos (experto credite) fastus ;
saepe tacens odii semina vultus habet.
Spectantem specta, ridenti mollia ride ;
innuet ; acceptas tu quoque redde notas.
Sic ubi prolusit, rudibus puer ille relictis
spicula de pharetra promit acuta sua.
Odimus et maestas. Tecmessam diligat Ajax ;
nos, hilarem populum, femina laeta capit.
Numquam ego te, Andromache, nec te, Tecmessa, rogarem
ut mea de vobis altera amica foret.
Credere vix videor, cum cogar credere partu,
vos ego cum vestris concubuisse viris.
Scilicet Ajaci mulier maestissima dixit
"Lux mea" quaeque solent verba juvare viros ?
Quis vetat a magnis ad res exempla minores
sumere nec nomen pertimuisse ducis ?
Dux bonus huic centum commisit vite regendos,
huic equites, illi signa tuenda dedit.
Vos quoque, de nobis quem quisque erit aptus ad usum,
inspicite et certo ponite quemque loco.
Munera det dives ; jus qui profitebitur, adsit ;
facundus causam saepe clientis agat ;
carmina qui facimus, mittamus carmina tantum ;
hic chorus ante alios aptus amare sumus ;
nos facimus placitae late praeconia formae ;
nomen habet Nemesis, Cynthia nomen habet ;
Vesper et Eoae novere Lycorida terrae,
et multi, quae sit nostra Corinna, rogant.
Adde, quod insidiae sacris a vatibus absunt
et facit ad mores ars quoque nostra suos.
Nec nos ambitio nec amor nos tangit habendi ;
contempto colitur lectus et umbra foro.
Sed facile haeremus, validoque perurimur aestu
et nimium certa scimus amare fide.
Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,
et studio mores convenienter eunt.
Vatibus Aoniis faciles estote, puellae ;
numen inest illis, Pieridesque favent.
Est deus in nobis, et sunt commercia caeli ;
sedibus aetheriis spiritus ille venit.
A doctis pretium scelus est sperare poetis ;
me miserum ! scelus hoc nulla puella timet.
Dissimulate tamen nec prima fronte rapaces
este ; novus viso casse resistet amans.
Sed neque vector equum, qui nuper sensit habenas,
conparibus frenis artificemque reget,
nec stabiles animos annis viridemque juventam
ut capias, idem limes agendus erit.
Hic rudis et castris nunc primum notus Amoris,

qui tetigit thalamos praeda novella tuos,
te solam norit, tibi semper inhaereat uni,
cingenda est altis saepibus ista seges.
Effuge rivalem ; vinces, dum sola tenebis ;
non bene cum sociis regna Venusque manent.
Ille vetus miles sensim et sapienter amabit
multaque tironi non patienda feret.
Nec franget postes nec saevis ignibus uret
nec dominae teneras adpetet ungue genas
nec scindet tunicasve suas tunicasve puellae,
nec raptus flendi causa capillus erit.
Ista decent pueros aetate et amore calentes ;
hic fera conposita vulnera mente feret.
Ignibus heu ! lentis uretur, ut umida faena,
ut modo montanis silva recisa locis.
Certior hic amor est, brevis et fecundior ille.
Quae fugiunt, celeri carpite poma manu.
Omnia tradantur (portas reseravimus hosti),
et sit in infida proditione fides.
Quod datur ex facili, longum male nutrit amorem ;
miscenda est laetis rara repulsa jocis.
Ante fores jaceat ; "crudelis janua" dicat
multaque summisse, multa minanter agat.
Dulcia non ferimus ; suco renovemur amaro.
Saepe perit ventis obruta cumba suis.
Hoc est, uxores quod non patiatur amari ;
conveniunt illas, cum voluere, viri ;
adde forem et duro dicat tibi janitor ore
"Non potes" ; exclusum te quoque tanget amor.
Ponite jam gladios hebetes ; pugnetur acutis.
Nec dubito telis quin petar ipse meis.
Dum cadit in laqueos, captus quoque nuper, amator
solum se thalamos speret habere tuos.
Postmodo rivalem partitaque foedera lecti
sentiat. Has artes tolle ; senescit amor.
Tum bene fortis equus reserato carcere currit,
cum, quos praetereat quosque sequatur, habet.
Quamlibet extinctos injuria suscitat ignes ;
en, ego confiteor, non nisi laesus amo.
Causa tamen nimium non sit manifesta doloris,
pluraque sollicitus, quam sciet, esse putet.
Incitat et ficti tristis custodia servi
et nimium duri cura molesta viri.
Quae venit ex tuto, minus est accepta voluptas.
Ut sis liberior Thaide, finge metus.
Cum melius foribus possis, admitte fenestra
inque tuo vultu signa timentis habe.
Callida prosiliat dicatque ancilla "Perimus ! "
Tu juvenem trepidum quolibet abde loco.
Admiscenda tamen Venus est secura timori,
ne tanti noctes non putet esse tuas.
Qua vafer eludi possit ratione maritus,
quaque vigil custos, praeteriturus eram.
Nupta virum timeat ; rata sit custodia nuptae ;
hoc decet, hoc leges duxque pudorque jubent.
Te quoque servari, modo quam vindicta redemit,
quis ferat ? ut fallas, ad mea sacra veni.
Tot licet observent, adsit modo certa voluntas,

quot fuerant Argo lumina, verba dabis.
Scilicet obstabit custos ne scribere possis,
sumendae detur cum tibi tempus aquae,
conscia cum possit scriptas portare tabellas
quas tegat in tepido fascia lata sinu,
cum possit sura chartas celare ligatas
et vincto blandas sub pede ferre notas ?
Caverit haec custos, pro charta conscia tergum
Praebeat inque suo corpore verba ferat.
Tuta quoque est fallitque oculos e lacte recenti
littera (carbonis pulvere tange ; leges),
fallet et, umiduli quae fiet acumine lini,
et feret occultas pura tabella notas.
Adfuit Acrisio servandae cura puellae ;
hunc tamen illa suo crimine fecit avum.
Quid faciat custos, cum sint tot in Urbe theatra,
cum spectet junctos illa libenter equos,
cum sedeat Phariae sistris operata juvencae,
quoque sui comites ire vetantur, eat,
cum fuget a templis oculos bona diva virorum,
praeterquam siquos illa venire jubet,
cum, custode foris tunicas servante puellae,
celent furtivos balnea multa jocos,
cum quotiens opus est, fallax aegrotet amica
et cedat lecto quamlibet aegra suo,
nomine cum doceat quid agamus adultera clavis,
quasque petas, non det janua sola vias ?
Fallitur et multo custodis cura Lyaeo,
illa vel Hispano lecta sit uva jugo.
Sunt quoque quae faciant altos medicamina somnos
victaque Lethaea lumina nocte premant.
Nec male deliciis odiosum conscia tardis
detinet et longa jungitur ipsa mora.
Quid juvat ambages praeceptaque parva movere,
cum minimo custos munere possit emi ?
Munera, crede mihi, capiunt hominesque deosque ;
placatur donis Juppiter ipse datis.
Quid sapiens, faciet stultus quoque : munere gaudet
ipse quoque accepto munere mutus erit.
Sed semel est custos longum redimendus in aevum ;
saepe dabit, dederit quas semel ille manus.
Questus eram, memini, metuendos esse sodales ;
non tangit solos ista querella viros.
Credula si fueris, aliae tua gaudia carpent,
et lepus hic aliis exagitatus erit.
Haec quoque, quae praebet lectum studiosa locumque,
crede mihi, mecum non semel illa fuit.
Nec nimium vobis formosa ancilla ministret ;
saepe vicem dominae praebuit illa mihi.
Quo feror insanus ? quid aperto pectore in hostem
mittor et indicio prodor ab ipse meo ?
Non avis aucupibus monstrat qua parte petatur ;
non docet infestos currere cerva canes.
Viderit utilitas ; ego coepta fideliter edam
Lemniasi et gladios in mea fata dabo.
Efficite (et facile est) ut nos credamus amari ;
prona venit cupidis in sua vota fides.
Spectet amabilius juvenem et suspiret ab imo

femina, tam sero cur veniatque roget ;
accedant lacrimae dolor et de paelice fictus,
et laniet digitis illius ora suis ;
jamdudum persuasus erit ; miserebitur ultro
et dicet "Cura carpitur ista mei".
Praecipue si cultus erit speculoque placebit,
posse suo tangi credet amore deas.
Sed te, quaecumque est, moderate injuria turbet,
nec sis audita paelice mentis inops.
Nec cito credideris ; quantum cito credere laedat,
exemplum vobis non leve Procris erit.
Est prope purpureos colles florentis Hymetti
fons sacer et viridi caespite mollis humus ;
silva nemus non alta facit ; tegit arbutus herbam ;
ros maris et lauri nigraque myrtus olent ;
nec densum foliis buxum fragilesque myricae
nec tenues cytisi cultaque pinus abest.
Lenibus inpulsae Zephyris auraque salubri
tot generum frondes herbaque summa tremit.
Grata quies Cephalo ; famulis canibusque relictis
lassus in hac juvenis saepe resedit humo,
"Quaeque meos releves aestus, cantare solebat,
accipienda sinu, mobilis aura, veni."
Conjugis ad timidas aliquis male sedulus aures
auditos memori rettulit ore sonos.
Procris ut accepit nomen, quasi paelicis, Aurae,
excidit et subito muta dolore fuit.
Palluit, ut serae lectis de vite racemis
pallescunt frondes, quas nova laesit hiemps,
quaeque suos curvant matura Cydonia ramos,
cornaque adhuc nostris non satis apta cibis.
Ut rediit animus, tenues a pectore vestes
rumpit et indignas sauciat ungue genas ;
nec mora, per medias passis furibunda capillis
evolat, ut thyrso concita Baccha, vias.
Ut prope perventum, comites in valle relinquit ;
ipsa nemus tacito clam pede fortis init.
Quid tibi mentis erat, cum sic male sana lateres,
Procri ? quis adtoniti pectoris ardor erat ?
Jam jam venturam, quaecumque erat Aura, putabas
scilicet, atque oculis probra videnda tuis.
Nunc venisse piget (neque enim deprendere velles),
nunc juvat ; incertus pectora versat amor.
Credere quae jubeant, locus est et nomen et index
et quia mens semper quod timet esse putat.
Vidit ut oppressa vestigia corporis herba,
pulsantur trepidi corde micante sinus.
Jamque dies medius tenues contraxerat umbras
inque pari spatio vesper et ortus erant.
Ecce redit Cephalus silvis, Cyllenia proles,
oraque fontana fervida pulsat aqua.
Anxia, Procri, lates ; solitas jacet ille per herbas,
et "Zephyri molles auraque, dixit, ades."
Ut patuit miserae jucundus nominis error,
et mens et rediit verus in ora color.
Surgit et oppositas agitato corpore frondes
movit in amplexus uxor itura viri.
Ille, feram movisse ratus, juvenaliter arcus

corripit ; in dextra tela fuere manu.
Quid facis, infelix ? Non est fera : supprime tela.
Me miserum ! jaculo fixa puella tuo est.
"Ei mihi ! conclamat, fixisti pectus amicum ;
hic locus a Cephalo vulnera semper habet.
Ante diem morior, sed nulla paelice laesa ;
hoc faciet positae te mihi, terra, levem.
Nomine suspectas jam spiritus exit in auras ;
Labor, io ! cara lumina conde manu."
Ille sinu dominae morientia corpora maesto
sustinet et lacrimis vulnera saeva lavat ;
exit et incauto paulatim pectore lapsus
excipitur miseri spiritus ore viri.
Sed repetamus opus. Mihi nudis rebus eundum est,
ut tangat portus fessa carina suos.
Sollicite expectas dum te in convivia ducam
et quaeris monitus hac quoque parte meos.
Sera veni positaque decens incede lucerna :
grata mora venies ; maxima lena mora est.
Etsi turpis eris, formosa videbere potis
et latebras vitiis nox dabit ipsa tuis.
Carpe cibos digitis (est quiddam gestus edendi)
ora nec inmunda tota perungue manu,
neve domi praesume dapes, sed desine citra
quam capis ; es paulo quam potes esse minus.
Priamides Helenen avide si spectet edentem,
oderit et dicat "Stulta rapina mea est".
Aptius est deceatque magis potare puellas ;
cum Veneris puero non male, Bacche, facis.
Hoc quoque, qua patiens caput est, animusque pedesque
constant ; nec, quae sunt singula, bina vide.
Turpe jacens mulier multo madefacta Lyaeo ;
digna est concubitus quoslibet illa pati.
Nec somnis posita tutum succumbere mensa :
per somnos fieri multa pudenda solent.
Ulteriora pudet docuisse ; sed alma Dione
"Praecipue nostrum est, quod pudet, inquit, opus."
Nota sibi sit quaeque ; modos a corpore certos
sumite ; non omnes una figura decet.
Quae facie praesignis erit, resupina jaceto ;
spectentur tergo, quis sua terga placent.
Tu quoque, cui rugis uterum Lucina notavit,
ut celer aversis utere Parthus equis.
Milanion umeris Atalantes crura ferebat ;
si bona sunt, hoc sunt accipienda modo.
Parva vehatur equo ; quod erat longissima, numquam
Thebais Hectoreo nupta resedit equo.
Strata premat genibus, paulum cervice reflexa,
femina per longum conspicienda latus.
Cui femur est juvenale, carent quoque pectora menda,
stet vir, in obliquo fusa sit ipsa toro.
Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylleia mater,
solvere et effusis colla reflecte comis.
Mille joci Veneris ; simplex minimique laboris,
cum jacet in dextrum semisupina latus.
Sed neque Phoebei tripodes nec corniger Ammon
vera magis vobis, quam mea Musa, canet ;
siqua fides, arti, quam longo fecimus usu,

credite ; praestabunt carmina nostra fidem.
Sentiat ex imis venerem resoluta medullis
femina et ex aequo res juvet illa duos.
Nec blandae voces jucundaque murmura cessent,
nec taceant mediis improba verba jocis.
Tu quoque, cui Veneris sensum natura negavit,
dulcia mendaci gaudia finge sono ;
(infelix, cui torpet hebes locus ille, puella est,
quo pariter debent femina virque frui.)
Tantum, cum finges, ne sis manifesta, caveto ;
effice per motum luminaque ipsa fidem.
Quid juvet, et voces et anhelitus arguat oris.
A ! pudet ; arcanas pars habet ista notas.
Gaudia post Veneris quae poscet munus amantem
illa suas nolet pondus habere preces.
Nec lucem in thalamos totis admitte fenestris ;
aptius in vestro corpore multa latent.
Lusus habet finem ; cygnis descendere tempus,
duxerunt collo qui juga nostra suo.
Ut quondam juvenes, ita nunc, mea turba, puellae
inscribant spoliis "Naso magister erat".